GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [1] - -

Leibn. Marg.

0, 1

Randnoten von Leibniz

KM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [2] - -

CHRISTOPHORI BESOLDI IC.

VITÆ ET MORTIS consideratio Politica,

Libellis tribus comprehensa:

Quorum

I. DE VITÆ SUSTENTATIONE,

II. DE CURA SANITATIS,

III. DE SEPULTURA, AGIT.




ARGENTORATI,

Impensis Hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M DC XXIII.

14
Angeb.
13.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [4] - -

LIBER PRIMVS

CAPVT I.

De Agricultura, pecuaria: & Vsura.

VIta, quam jucundam omnibus opto, acerba mihi est; & Mortem ideò in votis habeo, vt vivere queam cum Christo; sicq; nunc de vitâ, in gratiam aliorum; me verò, vt exerceam jugi abitus recordatione, de morte pariter agam. At cùm haud possim id more, jureque Theologorum; politicè saltem id faciam, & per Discursum: nectens sensus, & verba aliorum; sine præjudicio partium, sectæque cujusvis.

II. Non autem subditos solùm habere; sed & ij, vivendi vt habeant facultatem, providendum est Imperanti omninò. Quare reprehensus justè fuit ab Alexandro Magno, Dinochares Architectus; quòd in vrbe Alexandriâ condendâ, quam in montis altissimi speculâ suadebat collocari, alimonij non perpendisset rationem. Plutarchus *in vitâ Alexandri.*

III. Sed quemadmodum in naturalibus rebus, partes totius constitutionis; non hoc sunt, quod ea, sine quibus totum consistere non potest, (nam & aêr non ad hominis pertinet constitutionem, licèt eo sine, nequeat vivere vllus) sic haud dubiè, ne civitatis quidem partes esse existimari omnia debent, quæ necessariò Civitatibus adsunt Et ita, cùm opes suppetere debeant Civitatibus; ipsæ tamen in Civitatibus parte non numerantur, Aristot. *lib. 7. politic. cap. 8. à princ.* proindeque haud ad constitutionem, sed ad conservationem, earum tractatio pertinebit.

IV. Hìc alimenta primùm; deinde artes vt suppetant necesse est: Vita namque multis eget instrumentis. *dict. cap. 8. lib. 7. polit.* Quæstuaria idcircò, seu scientia rem familiarem acquirendi; vel est Naturalis, vel Artificialis.

V. Naturalis, vel viva; ex pecoribus: vel mortua ex fructibus terræ. Ad artificialem, ac quasi præternaturalem; Mercatura, & artificia cætera referuntur. Arist. *1. polit. cap. 5. & 6.* Estque artificialis longè inferior naturali. Inde Iudæi, intra terræ suæ fines, ijs opibus contenti, quas illìc natura producebat, vitam procul commercijs agitavere. Petr. Cunæ. *1. de Rep. Hebræor. cap. 4.* Et item invisi semper Aegyptijs fuere Judæi, nullam magis ob causam, quàm ex dissimilitudine vitæ, studiorumque

rumque. Omnis enim plebs Aegyptiorum, ſecularibus artibus dedita, ſub umbrâ urbium intra mœnia deſidebat: eamque Israëlitis, ab omni ævo paſtoribus infeſtam fecit; quod vires ipſorum, vegetosque & acres ſpiritus; homines ſedentarij, opificesque non ferrent. Cunæ. *d. lib. cap.* 5. Quare etiam toties illud in libris politicorum Ariſtoteles iterat; optimam Rempublicam eſſe, cujus cives ex re ruſtica, atque ex paſtione vivant, eò quòd ij, ex Legibus, ſe resque ſuas regant: cùm habeant ex opere ſuo, quantum ſatis eſt ad vivendum; & tamen eis non liceat eſſe otioſis. Idcircò etiam in Rebuspublicis olim rectè inſtitutis, opifices civitate donati non fuerunt, ſed peregrini erant: cùm ignava eorum hominum, deſesque vita ſit, neque ullum eorum opus, congruat cum virtute.

VI. Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius. Cicer. 1. *Offic.* latè Joh. Baptiſt. Porta, *lib.* 1. *villæ, cap.* 1. *& ſeqq.* Quocirca veteres Romani, duo ſola ſtudia ingenuis hominibus reliquerunt, Agriculturam & Bellicam artem. Dionyſ. Halycarnaſs. *lib.* 2. Quia nempè viderunt, horum vitæ generum beneficio, homines ventri imperare, & illicitâ Venere minùs capi: artesque eas ad ſuſtentandam & ſervandam Rempublicam utiliſſimas eſſe; nempè Agriculturam propter militum alimenta, & militiam propter tutelam agricolarum. Unde Cato *de re ruſticâ* commemorat; Veteres, cùm bonum virum laudarent, ita laudare ſolitos: Bonum Agricolam, bonumque colonum. Et vt Varro *lib.* 2. *de re ruſticâ* ſcribit: Illuſtriſſimus quisque antiquorum, paſtor fuit, & à plurimo pecore, plerique apud vetuſtiſſimos laudabantur. Meritoque obtineat oraculi vicem; omnes naturæ opes, quibus communis hominum vita ſuſtentatur, telluris diligentiſſimo cultu contineri, & multiplicato fœnore reddi. vide eleganter & latè Dn. Herman. Latherum, *lib.* 3. *de cenſu, cap.* 6. *per diſcurs.* Congruit ideò æquitati, ut agricultura, & per conſequens, Agricola non negligatur; tanquam fundamentum, quo innititur Reipublicæ machina univerſa: proindè pleræque leges, in ipſorum favorem promulgatæ fuerunt. vid. Scip. Amirat. *lib.* 12. *diſſertat. polit. c.* 3. *fol. mihi* 358. *&c.*

VII. Uſuris, ſeu reditibus annuis, Mit angelegten Gülten/ oder auff Zinß außgeliehenem Gelt ſe, familiamque alere; an licitum Chriſtiano: num item hoc ut fiat, è Republicâ ſit? variè diſputari poteſt. Sanè politicè non permittendum eſſe videtur, ut cives ex reditibus ſolùm annuis vivant vide Botero *lib.* 1. *della ragion di ſtato, tit. della iuſtitia tra ſudditi. fol. m.* 27. *&c.* Recitat Ariſtotel. Oxylum Eliorum Regem, prædia agrosque vetuiſſe ad mutuam pecuniam opponi. Et Locrenſibus interdictum fuit, ne avitas venderent poſſeſſiones: quæ illuc omnia pertinebant, uti ne po-

ne populus desereret agrorum cultionem. Ita olim sub Tiberio, senatus præscripsit; ut duas quisque fœnoris partes, in agris per Italiam conlocaret. Hucque Suetonius, *in Tiber. cap.* 49. allûdit; dum quosdam damnatos ait, quibus aliud nil sit objectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecuniâ haberent: partem scilicet majorem, quàm pro lege. Tacitus *lib.* 6. *annal.* ibiq; Just. Lips. *n.* 54. & 58. Petr. Aerod. 4. *rer. judicat. tit.* 10. *c.* 5. simile Plinius, *lib.* 6. *epistol.* de senatu sui ævi: patrimonij tertiam partem, conferre jussit in ea, quæ solo continerentur. Sic de Marco Antonino Capitolinus: Jussit ut senatores peregrini, quartam partem in Italia possiderent. Vetus item fuit Romæ Lex, quâ ampliùs quàm sexaginta sestertia, in auro vel argento possidere vetabatur eamque legem, temporis tractu, abolitam, restituit Cæsar Dictator; ut Dio *lib.* 41. narrat.

VIII. Et huc pertinet, quod de Catone Cicero refert, *lib.* 2. *Offic.* cùm ex eo quæreretur; quid maximè in re familiari expediret? eum respondisse: Benè pascere. Quid secundum? satis benè pascere. Quid tertium? bene vestire. Quid quartum? Arare. Et cùm ille, qui quæsierat, dixisset: Quid fœnerari? Tùm Catonem: Quid hominem occidere? Apud Germanos olim, fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum erat; ideoque magis servabatur, quàm si vetitum fuisset. Tacit. de German. ubi Andr. Althamerus, *fol. m.* 286. Vide, inquit, quantum à pristinis & Germanis moribus sit discessum. Quid enim nunc fœnore usitatius? cui non studium fraudandi proximum, prædandi alienum, circumveniendi vicinum? adeò omnium mentes avaritia obsedit, &c. Quid multis? usuris omnia patent, exactionum, fraudumque nullus est finis. Faxit Deus, ut in pristinum statum, temperantiæ, synceritatis, modestiæ, acrectitudinis redeat Germania. Hæc olim Althamerus: quid si nostra tempora vidisset? Quàm multò laudabiliores veteres Germani fuerunt; etiam Gentiles, nondum Christo per prædicationis Evangelicæ sementem lucrifacti, atque hodierni? Jodoc. Willichius *Comment. in Taciti Germaniam, part.* 1. *cap.* 24. In ea, proh dolor, incidimus tempora, ubi maxuma pars hominum hoc saltem agit, ut suaviter vivat, quantumvis Ecclesiæ & Reipublicæ miserrimus sit status, pauperes fame intereant, patiatur Justus: adeoque paucis decus publicum curæ; plures tuta disserunt. propter hoc luget terra, & infirmatur omnis, qui habitat in eâ; in agro bestiæ, volucres in cœlo deficiunt, & pisces in mari. Dn. Lather. *lib.* 3. *de censu. cap.* 22. *n* 51. *&c.*

IX. De Usura, sic *in politicis* Aristoteles scribit: Jure habetur odiosa usura. Nam per eam quæritur numus numo, cùm ad hoc non sit institutus. Est enim propter commutationem. Usura autem seipsam auget, unde & nomen fœnoris accepit (est enim fœnus, à fœtu; sicut

τόκος ἀπὸ τῦ τίκτειν, nimirùm à partu) Quoniam genita gignentibus ſimilia ſunt, & in fœnore numus numum gignit. Itaque hæc ratio pecuniæ comparandæ, eſt maximè præter naturam. Eadem quoque Cynicorum Stoicorumq́, ſententia fuit de uſuris; conſentanea itidem auctoribus juris. Emund. Merillius *obſervat. lib. 1. cap. 13.* Jacob. Curt. *conjectur. tom. 1. lib. 3. cap. 29. fol. 295.* Sed de Uſuris, anque eas ſtipulari liceat Chriſtiano? variè diſputant multi. Zepper. *lib. 4. de Legibus Moſaic. cap. 25.* Joh. Gerhard. *decad. polit. 8. theſ. 1. & in Loco de Magiſtratu, n. 232. &c.* Joh. Forſter. *Diſput. ad Decalog. decad. 3. problem 2.* Chriſtoph. Binder, Dn. D. Theodorus Thummius, & Phil. Cæſar, Eccleſiæ Göttingenſis Superintendens, *in tractatibus de uſura ſingularibus,* Johan Arnd/in der andern Predigt über den 15. Pſalmen/ *num. 5.* Petr. Heig. *tom. 2. quæſt. 1.* Anton. Matthæ. *Diſp. ſingular. de uſur. juncta quæ eſt eiusdem Diſputationibus ad Inſtitutiones.* Henric. Scotan. *Diſp. ult. theſ. 9. iuncta eiusdem paratitlis Codicis,* vide item infrà *cap. ult. libelli huius primi, quod habet diſſertationem meam de uſuris, ubi plures alios laudo.*

X. Carolus Molinæus, *in tractatu de uſuris: num. 86.* rectè cenſere videtur: dum quosdam extremè eſſe pauperes putat, quibus eleemoſyna danda: quosdam verò indigentes, quibus ad tempus pecuniâ ſit opus, ac erga eos officium mutui gratuitum eſſe debere. Quosdam verò eſſe, quibus de ſuo ſatis ſit, qui tamen pecunias petant, ad negociationes exercendos, vel prædia emenda; ab hiſce moderatum accipere lucrum, haud prohiberi. &c. ut &, ubi vel paris conditionis ſint debitor, & creditor, vel creditor ipſe non habeat, quod alteri commodet gratis. Numus per ſe, non parit fructum; ſed mediante numo, comparare poſſum res, quæ fructum vel pariunt, vel parere queunt. Aequum ideò videtur, ut pars illius lucri, ad pecuniæ Dominum perveniat: quanti ſcilicèt ipſius intereſt, pecuniam non retinuiſſe, & ad ſimiles uſus eam haud collocaſſe. Et ita, uſura, compenſatio magis eſt, quàm lucrum. Salva ergò charitate, quæ opera cuncta, quæ facta, actionesque noſtras omnes ſalis inſtar condit; permitti cenſetur uſura: & habita ratione lucri, quod communiter capit; habereve poteſt debitor ex pecuniâ mutuò ſumptâ, determinari ea debet. Quo intuitu Joh. Ferrarienſis, *in form. Libell. act. hypothec. gloß. 3.* Mundum vix ſuſtineri, aut regi, ait, niſi de uſuris. Et uſuram, patriis legibus probatam, damnare; hominis eſſe, communem hominum utilitatem, ſocietatemque non ſatis intelligentis, Aug. Callias inquit, *in Sylv. Myſter: fol. 83.* Quicquid in Eccleſia dicatur; in foro apud omnes nationes receptæ ſunt uſuræ. Cur non pecunia pecuniam pariat; cùm ut aliarum rerum, ſit etiam pecuniæ uſusfructus? An ſterile eſt, quo utimur, fruimur? Quid diſtat id quod intereſt; quid cauſa, quid acceſſio,

ab

ab usuris? Cur mora proficiat morosò? Petr. Aerod. 4. *rer. Iudic. tit.* 10. *c.* 1.

XI. Inde non iniquum est, ut usura stipulata, etiam unà cum sorte, prioritatis privilegio fruatur. Dan. Moller. 1. *semestr. cap.* 28. Matth. Berlich. *tom.* 1. *concluſ.* 46. *n.* 7. Et salvâ conscientiâ, in mutuo, ob moram in solvendo commissam, petere quimus interesse: Modest. Pistor. 1. *quæst.* 47. Grævæ. 2. *concl.* 5. *consid.* 1. Sicque in dem Deputations Abschied *de Anno* 1600. §. so vil nun/ 144. sancitum invenitur; ut ex mutuo id, quod interest, à die moræ debeatur. & creditori vel ad rationem quinquuncem, vel quanti pluris liquidaverit, adjudicetur. An verò valeat pactum, Das die Ablösung/ oder auffkündung der Gülten/ bey dem Creditore stehe? disputat Rauchbar. 1. *quæst.* 19. & Mollerus, 3. *semestr. quæst. ult.* Sanè jure Camerali, pactum tale nullius momenti est, & pro non adjecto habetur: Gail. 2. *obser.* 4. & *obser.* 7. *n.* 8. ni ita fuerit conceptum: ut cessante in pensionum solutione venditore, liceat emptori, unà cum reditibus recipere sortem. Deputations Abscheid. *Anno* 1600. §. Ferner ist biß 38. At de novissimo Vvürttembergico jure, muß der Gültreicher nach verstiessung vierer Jahren/ auff begehren deß Gültkäuffers/ ohnfählbar ablösen. Landsordnung/ *fol.* 29. *in adnotat. marginal.*

XII. Imperator noster Justinianus, varias item de usuris sancivit leges; distinguens inter personas: Herm. Vulteius, *Juris pr. Roman. lib.* 1. *cap.* 44. *fol.* 241. quæ planè in desuetudinem venerunt. At qui ultrà legitimum, jureque cujuslibet provinciæ definitum usurarum modum, ullâ ratione vel colore, aliquid à debitoribus extorquent, gravissimâ afficiendi sunt pœnâ: non solùm quòd proxumo noceant; sed & quia hocce modo, cives à prædiorum culturâ, honestisque artificiis abstrahuntur, ac fœnerari discunt. Et ad hos tantùm pertinere videntur, quæ contra fœneratores passim acerbè satis dicta inveniuntur. Ita sapientissimus Neapolis Rex Alphonsus, dicebat; Fœnus nihil aliud sibi videri, quàm animæ funus: & secundum B. Ambrosii opinionem; nihil interest inter funus & fœnus, inter mortem & sortem, & ab ijs demùm exigi vult usuras, quos occidere non sit crimen. vid. Lather. 3. *de censu, cap.* 23. *num.* 34. & *seqq.* De fœnore ita sentit Machumet in Alcorano, *azoar.* 4. De fœnore viventes, non nisi quasi dæmoniaci resurgent: cùm ipsi fœnerari, quòd Deus nefas & illicitum statuit, licitis annectant; dicentes fœnus esse qualis est mercatura. Theod. Beza, *in epigrammat.*

Qui mutuando de suo, nunquam tuum;
Sed usq; & usq;, de tuo suum facit.
Qui dando spoliat, erogando colligit:
Nunquàm serens, qui metere nunquam desinit.
Quo nulla mundo, pestis est nocentior,
Quo nulla mundo, pestis est frequentior.

XIII.

XIII. Hæc (immodica & illegitima nempè) verè mordens illa uſura eſt; quæ ut R. Bechai ait, ſicut ſerpens mordet, & non ſentitur. Dn. Buxdorff. *in Lex Verb.* נשך Adeò ut ſtatuant nonnulli, etiam in mutuo, ratione interuſurii, de quinque annuis in ſingulos centenos ab initio quoque licitè conveniri. Fichard. *reſp. 29. per tot. vol.* 1. ac in eam opinionem concedit item Martin. Azpilc. laudatus à Grævæo. 2. *concl.* 5. *conſid.* 1. *n.* 4. *&c.* Non itaque noſtro tempore, Uſurarum modus (quod alicubi locorum fit) augendus; Man ſolle das Intereſſe nicht über fünff vom hundert ſetzen: hâc quia ratione, homines à laboribus avocantur, & pedetentim prædia, vel onerantur nimiùm, in totumque inculta relinquuntur, dum nempè eorum cultores, morſu hoc viperino, graviùs læduntur.

XIV. Henricus Suſo, Suevus, ſanctitate & miraculis olim (ut fertur) *in Libello de novem rupibus cap.* 18. graviſſimis verbis, mali hujus originem detegit, dum ita ſcribit: Oritur Avaritia ex animi faſtu, ac elatione; quâ alii alios perpetim excellere nituntur. Olim cives, & negociatores, homines erant religioſi, ac virtutibus ornati, & in omnibus, quæ vel egiſſent, vel omiſiſſent, fidos ſe præſtabant; erantque exiguis facultatibus contenti, neque retinendis frugibus, ac vino annonæ caritatem efficiebant. Itaque Deus apud illos demorabatur; ſiquidem pectora eorum, non ita ut hodiè avaritia ſibi vendicabat, ac devaſtabat: certè Deus Omnipotens, in perturbato, diſſipato, erroribus implicito, & inquieto pectore, habitare neque vult, neque poteſt. At nunc ſinguli alios æquare, imò & excellere volunt; atque adeò etiam majores ſuos opibus vincere. Quo fit, ut erga Deum, ejuſque amicos tenaces ſint, profundantque res ſuas contra voluntatem Dei, ſuperbiæ ac oſtentationis cauſsâ: ſicque noctes & dies, pro acquirendis, cumulandisque divitiis, multâ ſollicitudine, curisque anxiis detinentur. Conſentit ejusdem genii, Joh. Taulerus, *in ſecundo ſermone Magiſtri, ad populum vulgarem: qui habetur in eiusdem vitâ, fol.* 35. *&c. edit. Colonienſ. Lat.* ubi de hac eadem uſurarum, ſcilicèt ac redituum annuorum materiâ, agens; inter alia ſic inquit: Omnes illos hîc noto, qui injuſtas exercent redemptiones, & illicita venantur ex pecuniis lucra. Memini ſanè, tali me tempore vixiſſe, quo rarum valdè & inſolens erat, redemptionibus uti. Et ſi qui tum, ſub redemptionis conditione contractus fiebant, ſynceri ac ſimplices erant, &c. Venerunt ad me, illis temporibus homines quidam honeſti; quorum unus mihi dixit: Ego ab hoc homine, certos quosdam propriæ pecuniæ reditus emi, ſuper ejus hæreditariis bonis; aliud nil quærens, niſi quod miſeret me, bona hujus, perpetuò mihi, & hæredibus meis obligata eſſe debere, alioqui mallem ea ut propria poſſidere, ſicut & emi. Jam verò

huſce

hisce temporibus nostris, per superbiam & avaritiam nostram, ita redemptiones has, pervertimus, corrumpimusque; ut coram DEO, utplurimùm plùs quàm semiusura sit. Multi hîc per superbiam peccant, ut seculi luxum & pompam imitari, & cœteris se conformare possint. Undè ille omnibus, quâ potest fide, consilium dedit; ut sorte suâ, bonisque sibi à Deo concessis contenti, vivant secundum prisci seculi morem, sintque grati Deo: utpotè qui haut dubiè subveniat ità facienti, ut habeant, quæ sibi sufficiant. Et tandem hancce querelam subjungit: Heu, quod satis superque dolendum est, ad id loci hoc tempore res rediit, ut pauca sint in populo Christiano negocia, quæ omninò justa & sincera sint. Proh dolor, quàm multos hodie invenire est cæcos ductores; ac si cœcus super cœcum in infernum ceciderit, tantò uterque pejus habebit. Quamobrem, quod vobis summoperè necessarium est: cavete vobis charissimi! Hactenus Taulerus.

XV. Nec item permittendum est Judæis, ut immodicum exigant fœnus: quâ de re ita scribit Antonius Margarita, *In tract.* Der gantz Jüdisch Glaub / *tit.* von dem Wucher der Juden / *lit.* J. 3. Ein Christliche Obrigkeit ist schuldig / das sie den Wucher von den Juden auffhebe / jhren Vnderthanen zu gut / vnd den Juden zu jhrer erkandtnuß / auff das sie arbeiten / vnd wol wissen / das sie von GOtt gewichen weren / vnd jetzt in einer langen Gefängnuß / nicht ohn merckliche vrsach / legen. *&c.* ubi in eum sensum alia plura habet. Etiam Philippus Augustus Galliarum Rex, contra usuras Judæorum, multas leges tulit: ne Christianus debitor Judæi, fundos vendere cogeretur; ne carceri manciparetur. Girard. *lib.* 10. *del' hist. de France. fol. m.* 881. *tom.* 1. Sunt & severè castigandi, usurarii Christiani: quales olim fuêre Lombardi, quos è Galliâ expulit Philippus Valesius; sortemque fisco adplicavit, usuras debitoribus remisit. Girard. *lib.* 15. *del' Histoir. de Franc. fol. m.* 205. Quodque etiam criminaliter accusari, punirique usurarii queant, tralatitium est apud Jureconsultos: vid. Kol. à valle. *cons.* 75. *vol.* 1. Inibique deveniri posse ad torturam, respondet Socinus *cons.* 219. *in fin. vol.* 2.

XVI. Ac quoque contra Usurarios, optimum remedium esse videtur; si publicâ auctoritate, Collybus, Ein offentlicher Wechsel / institutur, & cuilibet tolerabilibus sub usuris, mutuò pecunia detur. Et ita Alex. Severus, Fœnus publicum trientarium exercuit, pauperibusque plerisque sine usuris pecunias dedit, ad agros emendos, reddendas de fructibus. *Lampridius.* sicque cavetur, ne tenues gravioribus usuris urgeantur, aut suppellectilis distractionem alienissimo tempore ac loco patiantur. Hocque pietatis Aerarium vocat, post Bodinum Dn. Lutherus *3. de censu c.* 23. *n.* 21. *&* 25. adde Dominic. Baudii *tract. de fœnore, fol. m.* 9.

sed magnificè Tiberius Imperator; qui, cùm olim multi fortunis spoliarentur, multi famâ, ac dignitate deciderent, opem promptam tulit: disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copiâ sine usuris, per triennium, si debitor populo in duplum prædiis caveret. Sueton. *in vit. c.* 48. Aerod. *d. lib.* 4. *t.* 10. *c. ult.* Nec non Octavianus Augustus, quoties ex damnatorum bonis, pecunia superflueret, usum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. Sueton. *in vit. c.* 41. *Cuiac. 5. obser. c.* 38. Sic & Antoninus, teste Julio Capitolino, trientarium exercuit fœnus, (hoc est, minimis usuris) ut patrimonio suo plurimos adinvaret.

CAPVT II.

De alimonii copiâ procurandâ, legitimoq; eius precio constituendo: ac item de caussâ caritatis, cùm omnium rerum copia abundat.

ALimentorum precium, cùm per monopolia, propolia &c. (Durch den Fürkauff der Früchten/vnd anderer dergleichen nothdurfft) augescat; inde ea multarum provinciarum, & Imperii etiam sanctionibus prohibita inveniuntur. Reichsabschied zu Augspurg/*de Anno* 48. *tit.* vom Vorkauff der Früchten im Felde. Fürstl. Württ: Landsordnung/ *Tit.* vom schädlichen Fürkauff/*fol.* 121. Sic & Camillus Borrellus, 3. *de Magistrat. edict. cap.* 14. *num.* 101. *&c.* scribit: Magistratus advertere oportet, ne aliqui in civitate sint, qui omnia in grosso coëmant, ut cariori precio vendant postea minutim. Contra illos statuendum ait, ut non emant usque ad certam horam, ut cives ab ipsis venditoribus, non à Dardanariis emant. Polonia sanè, vel hac solùm ratione, annonæ impedit caritatem, quæ alibi, sæpissimè etiam in copiâ ingravescit. Idque Johannes Choisnyn, in Discursu, quo electionem Henrici Valesii, in Poloniæ Regem, Gallicè descripsit, *lib.* 3. *fol.* 116. adnotavit; cùm ait: *Et ce, qui retient parmy eux le bon marché de toutes denrées, c'est qu'il n'y a point de Monopoles: principalement pour le bled, & pour le uin. &c.* Anno Christi 1438. ut refert Guilhelmus Paradinus, *lib.* 3. *des Annal. de Bourgogne, fol. m.* 783. *& seqq.* fames tàm miserè Gallias adflixit, ut in decuplum excreverint pretia rerum: hancque non inopiam solùm, sed & pravitatem usurariorum (qui scilicet vel lucri caussâ, vel ut sibi prospicerent, omnia coemebant) memorat effecisse. Et addit: satis apertè constitisse, non

sterilitatem

stefilitatem magis, quàm malitiam hominum, præferentium commodum privatum, utilitati publicæ, Christianæque charitati, esuriem aliis conciliâsse. Henr. Mutius, *lib.* 31. Chron. Germ. *fol. m.* 320. scribit, His Annis (1531. &c.) annonæ, & aliarum rerum, usui mortalium necessariarum caritas superiorem Germaniam, & Italiam supra modum afflixit; cùm tamen cœli, terræve iniquitas non fuerit in causa. Dubitantque adhuc, etiam qui sibi videntur in rebus humanis prudentissimi, quæ sit causa. Aliis bella, aliis bellorum metum & exspectationem, aliis avaritiâ, & extinctionem charitatis, curamq; hujus seculi, quam extremis temporibus futurâ, prædixerunt multi Prophetæ, quibusdam monetæ multitudinem, aliam aliis putantibus causam. sunt qui censent, hæc omnia simul causam esse.

II. Dardanarii ergò, annonam onerantes, & prementes, seplasiarii, pantapolæ, pantametaboli, sunt coercendi; eorumque fraudes, calliditates, stellionatus, variis constitutionibus coercentur: Cujac. *lib.* 10. *obs. c.* 19. Turneb. *lib.* 9. *animadvers. c.* 17. qui idem & justo judicio Dei, pœnis præsentibus, etiam in hac vita, interdum afficiuntur. Lather. 3. *de censu c.* 7. *num.* 83. *&c.* 93. *&c.* Nihilque (ut Gregorius Nazianzenus *in funere Basilii* ait) gravius, acerbiusque est iis, qui ut famem negocientur, atque ex aliorum calamitatibus messem faciant, temporum difficultates observant.

III. Vini verò & frumenti propolia, ad justam rationem commodissimè rediguntur; si Principes ac Respublicæ, annonarias contributiones, ad caritatis, inopiæque reservent casus; aut etiam quæ ab exteris exportantur, coëmant: annonaque ingravescente, tolerabili eam pretio, & minutatim vendant; Lather. 3. *de censu, cap.* 7. *num.* 46. *&c.* sicque impediant famem. Sanè terribiles famem subsequuntur ærumnæ; seditio, nempè & pestis: ac legimus apud historiarum scriptores, ejusmodi sæpè famem viguisse, ut matres non semel devoraverint filios infantes. Tempusque fuit, cùm Romæ plurima plebs, fame adacta, operto capite, in Tyberim præcipitem se daret. Nil non mali cogitat plebs jejuna: & indè cùm aliquando Augustus animadvertisset, in publicis horreis, non reperiri frumenta, nisi sufficientia ad tres tantùm dies; venenum sibi præparavit, si frumenta illos inter dies non adveherentur. Borrellus *d. c.* 14. *à princ.* Et, ideò famem simul ac bellum, pestemque, tria esse flagella, quibus divina Justitia, mortalium peccata castigat, nemo nescit. Proindè non Iudæi solùm, sed ipsimet Idololatræ, hisce ingruentibus malis, Dei sive etiam Deorum auxilium imploraverunt.

IV. Quapropter optimum ac primum, ut aliorum malorum, ita & famis remedium esse puto, confugere ad Deum. Scip. Amirato, *Dissert. Polit.*

Polit. lib. 12. disc. 3. à princ. Neque dubium est, quin miseratio divina, hujusmodi & majora beneficia, eis quibus vera mentis devotio haut deest, concessura sit. Et alludit huc proverbium Germanorum: **Wann ein Thewrung solle sein / so hilfft nichts / wann gleich alle Berg Mehl wehren.** *vid.* Sebast. Franckhen in der Keyser Chronic. *de Anno 1531. fol. m. 250.*

V. Sed cùm dederit nobis Deus arbitrium & rationem, non displicet ipsius Majestati, ut nostris nos facultatibus utamur: ac idcircò de remediis, quæ contra penuriam annonæ, excogitare valet providentia humana, fusè quoq; politici tractant, & imprimis Amiratus *dict. discurs. pass.* Lather. *lib. 3. de cens. cap. 7. per tot.* Auctor libri Sallici, *cuius titulus Miroir des Francois, lib. 3. per tot.* Ergò pacis tempore providendum est, ut bello ingruente, famis necessitate non opprimamur: eoque fine Romæ singularis, magnæque dignitatis erat Magistratus; præfectus annonæ dictus, *t. t. C. de offic. præfect. annon.* ubi Cujac. & Henr. Scotan. *in paratit.* Sic Turcarum Imperator creat Ssar Emin, urbis præfectos; qui ut copia oryzæ, & frumenti, néve ullum rerum illatarum monopolium sit, perpetuò curat. Sic & in exercitu habent Harpac Emin, qui equis de pabulo prospicere possit. Scotan. *dict. loc.* Nil certè stultum magis est, quàm gerere, vel incipere bellum, nec diu antè, belli incommodis ut occurri possit, prospexisse. Annis inprimis fertilibus est curandum, ut sterilitas superveniens nocere haut queat.

VI. Tria autem remedia necessaria sunt, quæ singula, summam in sterilibus annis diligentiam poscunt. Primum emptio, alterum importatio, tertium dispensatio annonæ. Citò namque emenda, cautè importanda, sive convehenda, admirabili demùm Oeconomia est dispensanda. Sed quantitas annonæ, quæ nostris necessitatibus succurrat & medeatur, ignoranda non est: neque decet ministros Principibus imponere; dicentes, suffecturam annonam, cùm ipsius instet defectus. Sed fatale quoddam, & universale hominum erratum videtur, ut remedia tùm maxumè quærantur, cùm pericula imminent. Ubi Respublicæ benè sunt constitutæ, magna copia annonæ, ad belli famisque reconditur casus inopinatos. Lather. *d. c. 7. n. 53.* Ego tractat. *de Aerar. c. 1. n. 2.* Et artificio olim singulari, horrea condita fuerunt, ut ne computrescerent frumenta. Bulenger. *de vectigal. c. 8. & seq.* putantque nonnulli, frumentum diutiùs asservari, sanumque corpori magis esse, cujus solum, ubi crevit, lupulo, seu cinere, non verò fimo fuerit pinguefactum. Loys Guyon, *tom. 1. d. diverse. lecons. lib. 4. c. 7.*

VII. Evectiones item sunt prohibendæ: *arg. l. 1. & 2. C. quæ res export. non poss.* idque edictum fieri potest pro utilitate communi. Camill.

mill. Borrell. *tr. de magistrat. lib. 3. c. 14. num. 5. &c.* ubi *n. 14. & seqq* disputat; An tale edictum prohibens extractionem, ipsum comprehendat Principem vel superiorem? An includat eos, qui extraxerint sui usus, ac propriæ necessitatis caussâ? Quid dicendum sit de iis, qui rem vetitam emisserint aliundè; ac portassent in locum edicti, postque demùm exportarint? & quæ sunt similes quæstiones. Copia frumentorum, provinciæ debet primùm prodesse, cui nascitur, & alienis partibus, quod supereſt, impendi debet; & tunc de exteris est cogitandum, cùm se expleverit ratio propriæ necessitatis; ut rescripsit olim Theodoricus Rex Gothorum, apud Cassiodor. *1. var. cap. 34.* Hìcque contra transgressores, præter vigilias & custodias, instar bellicorum temporum, partiendas; nisi aliud effici possit, illa etiam instrumenta sunt adhibenda, quibus maxuma peccata in civitate sanantur: cùm sancta & pia crudelitas illa sit, quâ supplicio paucorum, qui puniri meruerunt, manifestæ, certæque plurimorum insontium morti, obviam itur. Cõcedendæ item sunt mercatoribus immunitates, qui ex locis fertilibus advehant frumenta, & res necessarias alias. Lather. *d. c. 7. num. 15. &c. ac item n. 59. &c.* Memoratque Bodinus, *tr. des monnoyes, h. 3.* nunquàm Franciam fame laboraturam, si exteri nil exportarent: & Hispanos vicissim tanto favore complecti, qui adferunt frumentum, ut nemo ex Judicum ministris ausit capere eum, qui saltem dicat, *traho dridigo*, hoc est, Triticum adporto. ac quomodo mercatura sit promovenda, prudenter disserit Xenoph. *tr. de rationibus redituum, seu de proventibus fol. m. 922.*

VIII. Verùm enimverò, totum rei frumentariæ pondus, in rectâ dispensatione ut plurimùm consistit; cùm neglectis subsidiis opportunis, sæpenumero videamus, postquàm interiit pauperum multitudo, frumentum supereſse. Quo in negotio existimat Amirato, *d. discurs. 3. fol. mihi 359. & seq.* necessarium esse, militares ordines imitando, ad minutas partitiones, ac subdivisiones descendere: & civitatè non modò distinguere in tribus; sed & præficere singulis vicis, & Insulis homines, qui instar Centurionum, Tribunis obtemperantium, curam sibi commissorum civium gerant; ne cuiquam opus, ne cibus desit. Idque facilè efficere poterunt, si frumentum omne in unum conferatur, precio mediocri, ex publico soluto; & portò proportionabiliter ac viritim panis coctus civibus vendatur. Quòd autem tempore necessitatis, habentes frumenta & victualia, ad vendendum cogi possint; ac etiam pretio viliori: proditum est à Iureconsultis. Borrell. *d. c. 14. num. 98. &c. ac n. 109. &c.* & id jus masculè contra quosdam magnates, usurpavit olim Flandriæ quidam Comes. vid. Bernhard. de Girard. *lib. 8. del' hist. de franse, à princ.*

IX. Percuperem item, ne priſcis inferiores prudentiâ videamur; ac ut conſilium illud Auguſti, quo convivia diebus natalitijs prohibuit, imitaremur: necnon popinæ ut tollantur. Exeatque edictum, Principem exhilaratum iri, ſi in tantâ pauperum miſeriâ, divites delitijs, ac luxibus abſtinuerint. Princeps item, loca ſuo ſolatio reſervata, populoque interdicta, liberabit. adeò ut piſcatio, aucupium, venatio, nemini prohibeatur. Alexander Imperator copiam porcinæ, bubulæque carnis ita procuravit; dum prohibuit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam. Lamprid. *fol.m.*212. Et item prohibendæ ſunt invectiones mercium peregrinarum; & vini delicatioris. quod in Germania, ut facilè fieri poteſt; ita fundi noſtri calamitas eſt, quòd id inibi negligi ſolet. Germania quippè, omnium rerum exterarum invectionibus ferè carere poteſt: ut & auctor Theſauri politici non diffitetur, dicens; *non ſi portano d' altro paeſe in eßo, ſe non le coſe ſuperflue, che ſervono alle delitie.part.1.relat.della corte dell' Imperatore.fol. m. 56.ad fin.* idque & iam olim, Æneas Sylvius fateri coactus fuit. At ô felicem Germaniam noſtram, ſi veterem αὐτάρκειαν coleret in ſuis rebus. divitias enim,& priſtinum ſplendorem facilè recuperaret.

X. Sunt porrò & Barbari Reges, ſuo qui exemplo Chriſtianos poſſint erudire, quomodo caritas & inopia ſubiectorum vitanda. De Magno Cham, Tartariæ Monarchâ, Paulus Venetus, *hiſtor. lib. 2. cap. 24.* refert: ſolere eum, ſingulis annis, nuntios ſuos mittere, ad provincias diverſas, Imperio ſuo ſubiectas, ad inquirendum; nùm damnum aliquod à locuſtis, aut alijs vermibus, frumento ſit illatum, aut alia peſtis, ſteritatem invexerit in provinciam quandam. Et cùm ſibi innotuerit tale quid, remittere eum illi populo tributa, pro illo anno, mittereque de horreis ſuis frumenta, pro victu & ſemente: tempore etenim magnæ ubertatis; emere Regem copioſam vim frumenti, & in thecis conſervare; ut cùm in unâ regione penuria prævaluerit frumenti, defectus ille ex Regijs horreis ſarciri queat. Vendere autem frumentum ſuum, minimo pretio, ut pro uno modio, in quadruplo plus pecuniæ exponendum eſſet, ſi ab alio quopiam emeretur. ſimiliter, quando aliqua peſtis animalia invaſerit, remittere eum, anno illo conſuetum tributum, vendereq; ſubditis alia pecora & armenta. pro vero item aſſerit ille idem auctor; Regem hunc quotidiè per totum annum circiter triginta millia pauperum pane paſcere, nec ulli finere fragmentum panis negari.

XI. Omnia hæc, quidque in fame ſit obſervandum, paucis Petrus Ærodius eſt complexus, qui *lib.9.rer. judicat.tit.4. c.5.* ita ſcribit: ſi ſit, aut immineat fames, hæc ferè remedia adhibentur. Creari præfectos annonæ, è dignißimis quibuſque: iuſtitium indici, mitti circa finitimos populos

populos legationes, frumenti advehendi caussâ; dispensari inopiam, hoc est, cogere qui habeant, frumentum profiteri, & quod usui menstruo supersit vendere: fraudare servitia parte diurni cibi: imò interdum longè ablegare. Quid servitia? aliquando cives. Præterea Senatoribus, ut quò velint, proficiscantur, permittere: deniq; in frumentarios, severè animadvertere. Sed & Tiberius imitandus est, qui (ut Tacitus habet) sævitiam annonæ incusante plebe, statuit frumento pretium, quod penderet emptor: binosque numos, dixit de suo additurum, negotiatoribus in singulos modios. Est enim boni Principis, hoc maxumè casu, munificentiâ, & largitate uti. Hactenus ille. Addatur etiam Dn. D. Theodori Thummii Dissertatio, quæ inscriptionem habet; Christiana Querela & Medela, super annonæ caritate.

XII. Elegantis admodum quæstionis est, & quæ hîc non incommodè tractari potest; Cur rerum pretia quotidiè crescant, & caritas sine inopiâ, ac etiam absque fame, haut rarò contingat? *quam etiam tractavi in corollario V. subnexo Cōmētarijs meis, ad aliquot Titulos, libri 1. Digestor.* Anno 1529. & item Anno 1531. Prodigiosa fames, & defectus fuit omnium rerum, quæ usui humano necessariæ sunt: & tamen vendebatur tum annona, eduliaque alia, pretio tali, quod seculo nostro, etiam in copiâ, tolerabile videretur. *Sebast.* Franck in der Keiser Chronick. *fol. m. 243. b. & 249. b.* Sanè copia argenti, pretia rerum exaggeravit; & in dè eiusdem nata vilitas, necessariò invexit caritatem, *L. 2.* vbi Gothofr. *C. de veter. numis. potest. lib. 11.* Indeque prædia, & alia quæcunque, hodiè tàm immenso pretio venduntur, præ quàm olim æstimata fuerunt. Vicissim raritas auri & argenti, in caussa fuit, ut eorum pondere non magno, agri, agrorumque fructus potuerint emi. Ita Tubinga nostra veniit olim quinquies millibus, octingentis, & quinquaginta septem florenis. Balinga, viginti duobus millibus florenorum. Dn. D. Lansius *Orat. pro Germania, fol. 68.* Anno 1433. cùm occasione cuiusdam duelli, magna hominum multitudo Spiræ Nemetum conveniret, æstimatio rerum ad victum necessariarum facta fuit: nempè, Herrn vnnd Rittern / ein Imbiß / 16. Pfenning / für ein Simmerin haben / 9. Pfenning. Lehmann. *lib. 7. c. 90.* Tempore Furii Camilli, Romæ vix inveniebantur auri talenta octo, ex quibus munus Apollini Delphico conficeretur; ad idque matronæ monilia & inaures contribuere cogebantur: Plutarch. *in Camill. m. n. 5.* & ideò mirum haut est, inibi olim vervecem decem, bovem centum obolis veniisse; *Idem in Publicola n. b.* modumque stipendii sub initium Punici belli tertii, in peditem, duorum obolorum fuisse, ut Polybius, *lib. 6.* scribit. Paupertas etiam veterum efficiebat, ut nummariæ pœnæ, olim planè exiguæ fuerint, §. 7. *Inst. de iniur.* sed opulentiores prædæ,

prædæ, caritatem pòst effecerunt: & captâ ab Augusto Alexandriâ, Romam in tantùm opibus ejus crevisse Orosius ait, ut duplò majora, quàm antehâc, rerum venalium pretia statuerentur. Pariter & in Græciâ, perquàm rarus olim vsus auri, argentumque in fodinis paucum fuit: adeò vt poculum argenteum, non sine admiratione, velut novum & insolens quidpiam videretur: ac demum post Alexandrum Maximum, qui Asiæ diripuit thesauros, opulentia est exorta. Athenæus, *dipnosophist. lib. 6. fol. m. 231. & seq.* Rectéque Aristoteles *5. polit. c. 6.* scribit: Temporum felicitate, propter pacem, aut rebus aliter prosperè cedentibus, effici, ut eædem possessiones pretio longè majore æstimentur. Sic & Genesius Sepulveda, *ad Aristot. lib. 5. polit. c. 7. n. 34.* Hâc memoriâ, inquit, in Hispania propter magnam auri & argenti copiam, ex orbe novo importatam; precia possessionum, in quintuplum, eoque ampliùs creverunt. Lutetiæ olim, victui Studiosorum, qui in collegiis vivebant, tres solidi Parisienses, destinati erant: *Antiquitez de Paris. fol. m. 149.* quot nunc haud sufficiunt frugali cœnæ. Et de Angliâ, Henricus Savilis, *tr. de milit. Rom. fol. m. 84.* attestatur; quòd abhinc centum annis emebatur decem numis grossis, qui tùm unciam pendebant; jam post detectas Indias, vix emi posse solidis decem, aut duabus uncijs, ejusdem ponderis & probitatis suntque ideò, qui putent, satius futurum fuisse, si Peruani illi, aurum & argentum suum servassent, ac nobis majorum nostrorum reliquissent frugalitatem. Casp. Ens. *lib. 2. convival. apparat. fol. m. 286.* Polybius item, ut Strabo *6. Geograph.* ait: adscribit auri fodinarum, ad Aquileiam suo tempore, quæ apertæ sunt, ut precium auri, per Italiam universam, pro parte tertiâ fuerit deminutum. Quod idem alio modo dici potest; pretia rerum auro emptarum, auctâ tertiâ parte.

XIII. Sed aliter sentire debemus de prodigiosâ caritate, quæ jàm ab Anno cœpit, & Germaniam nostram, si de prompto remedio non dispiciatur, certò perdet. Eam enim non auri; argentíve abundantia, sed auctio & depravatio monetæ invexit: quippè ex ejusdem proportione, & internâ etiam bonitate, cætera cuncta recipiunt æstimationem. Hanc-que cladem & corruptelam, non bella solùm, sed & avaritia, ac charitatis Christianæ plenissimus defectus effecerunt.

CAP. III.

Contra Otiosos, & Decoctores.

QUemadmodum sustentationis universim ratio est habenda; ita & singulis, suus ut dimensus labor sit, curandum erit. Grave etenim Reipublicæ est, vel unicũ alere otiosum. Xenophon, *1. pædiæ Cyri.*

Otium

Otium & Reges, simul & beatas
Perdidit urbes. Catull. n. 52.

Ita ingenium est omnium hominum, à labore proclive ad lubidinem. Terent. *Andr. Act. 1. Scen. 1.* & diligens est in otio, otiosisque culpandis, Güevara, *in libro de Marco Aurelio, cap. 23. & 25.* Ac inter quatuor illa, propter quæ Sodomam periisse dicit Ezechiel Propheta, etiam otium recensetur. *cap. 16.* Hæc, inquit, fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ; superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius. Erat etiam doctrina primorum illorum, omni laude dignissimorum patrum in eremo: Monachum occupatum, unam tantùm habere tentationem; otiosum verò infinitas. Sicque scribit de Anachoretis veteribus Cassianus: Pro re maxumi momenti, atque ad observantiam virtutis ac religionis utilissimum habitum fuisse; si Monachus ab omni commercio separatus, & cujus labores ad nihil utiles erant: non tamen otiaretur, sed semper manibus laboraret, annoque evoluto, omnes labores suos concremaret, vel cellulas suas evacuaret, novaque faceret cuncta. Unde & Beatus Hieronymus ad Rusticum, *can. nunquam 33. de consecrat. dist. 5.* Facito aliquid operis, ut semper te Diabolus inveniat occupatum. Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus. Apum fabricare alvearia, texantur & lina, capiendis piscibus: scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. Paulus item Apostolus Christi magnus; quemq; jubet operari manibus suis, nec vult eum manducare, qui non laboret, 1. *Thess. cap. 4. v. 11. & 2. Thess. c. 3. v. 10.* Et apophtegma refert Ignatii Loiolæ, Giovanni Botero, *lib. 2. d. detti. fol. m. 124. b. che nella religione, non vis' è cosa peggiore, e di più pericolo, che l' otio, è la pigritia: & che il voler mantenere in uffitio, & in virtù una congregatione di huomini scioperati, è un voler l' aqua in un crivello servare.* Ac de commodo & necessitate laboris, multa congessit, Pedro Mexia, *lib. 1. de varia Legion cap. 32.* Otium aperit vitiis omnibus portam; eandem virtutibus omnibus claudit. Non enim bonum aliquod in mundo reperitur, quod labore non comparatur; sive virtus, sive scientia, sive divitiæ, sive honor. Si quis igitur laborum inimicus existat, is abjicit instrumentum generale, quo bona omnia acquiruntur. Quod quæso majus malum in civitate esse potest, quàm si duas ea habeat portas; unam, per quã ingrediantur boni, alteram, per quam mali admittantur: prior autem semper maneat clausa, posterior verò pateat noctes atque dies? Qualis est terribilis illa civitas inferorum; talis est anima hominis otiosi; qui portam habet apertam omnibus malis, clausam verò bonis universis. R. P. F. Lodoicus Granatensis, *in floribus par. 5. cap. 12.* Pauperes itaque, & qui tenuioris sunt fortunæ, in suis opificiis occupentur, atque desudent;

quibus verò labore isto opus haut est, nequeunt habere vel dulciores, vel utiliores, vel etiam moderatiores occupationes, post communicationem cum Deo, & rei suæ domesticæ administrationem, quam piis & utilibus libris perlegendis operam suam elocare. Verè dictum est, vitam sine litteris mortem esse: & hûc Itali respexerunt, qui omnibus in urbibus ferè Academias instituerunt, (non illas hîc indigito, quas nos Scholas vocamus universales) quibus nobiliores sexus etiam utriusque, in variâ se litteraturâ simul & certatim exercerent. Quin & antiqui Rabbini tradunt, eis qui vellent sacras litteras profiteri; communem quandam legem fuisse præscriptum; ut addiscerent quoddam artificium manuale, quô quærerent victum: affirmantes, eos qui id facere prætermisissent, futuros ad peccandum procliviores. Sicut & B. Paulus, eruditione & nobilitate insignis, scenofactoriæ gnarus fuit. Baron. *Annal. sub. A.C. 52. n. 5.* Solon sapientissimus Athenienſium legislator, publicum in otiosos judicium dabat, ac ita in suis legibus cavit: Is qui otium sectatur, omnibus accusare volentibus obnoxius esto. Laert. *in vitâ.* Ac licet item Solon sanciverit piè: Si quis parentes haut nutriverit, infamis esto: eandem tamen legem ita repressit; ut filium solverit necessitate patris alendi, qui eum nullam artem docuisset.

II. Illud ergò ante omnia sanum consilium est, more prisco Areopagitarum, vitæ rationem exigere à quovis, quid operis faciat, aut undè se suosque alat? Athenæ. *lib. 4. Val. Max. lib. 2. cap. 6. num. 3.* licet de Athenienſibus (ubi Areopagus tùm adhuc erat) hoc culpet B. Lucas, quòd omnes ac etiam inquilini peregrini, nulli alii rei vacarent, quàm novis audiendis. Quo vitio & hocce seculum nostrum laborat nimis, & novarum dicendarum ac exploranda rum occasione, nil nisi mentiri discit. Sed porrò & Aegyptii omnes, ex Regis Amasis instituto; cogebantur nomina sua discripta, ad Nomarchas, seu provinciarum præsides deferre, simulque quâ ratione acquirerent victum demonstrare: qui autem hoc facere negligebat, aut vitæ genus præsidi adprobare non posset: huic pœna extremum supplicium erat. Herodot. *Euterp.* Diodor. Sicul. *lib. 2. antiq.* Otho Heurnius *barbar. philos. fol.* 211. adde si lubet Conrad. Rittershus. *ad Novell. part. 12. cap. 15.* Sanè si otiosi inquirantur, maxuma sæpè scelera deteguntur: Camerar. *cent. 1. medit. histor. cap. 15.* nemo enim præsumitur vivere de vento, *l. fin. C. de alim. pupill. præstand.* Ob hanc rem, inter alias eximias virtutes, quibus Hugo Marchio Brandeburgensis, Vicarius Othonis III. Imperatoris in Italia, præditus fuit, & ea celebratur; quod is hominibus otiosis & asotis, adeò fuerit infensus, ut eos in judicium vocarit, ad reddendam otii ac sumptuum rationem. Quæ consuetudo, ab ipso introducta, adhuc in Hetruriâ dicitur perdurare. vid.

Lather.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [20] - 18

Lather. *lib. 3. de cens. cap. 19. per discurs. Vbi hac de re plura, notatu digna,* videatur etiam Gregor. Richterus *Axiom. Oeconom. 97.* Rectissimè itaque Dionysius Halycarnassæus, *lib. 5. antiquit. Roman.* in prudentissimâ illâ Oratione, de sedandis discordiis intestinis', ab inopi plebe excitatis: Quos, inquit, videmus ventri, & fœdissimis voluptatibus indulgere, & propterea patrimonia absumsisse; dedecus & detrimentum Reipublicæ existimandos, & Rempublicam magnum facturam quæstum, si ipsi ultrò excederent ex urbe, & in malam rem abirent. Quos verò cognoscet Magistratus, fortunæ iniquitate, sua patrimonia amisisse, iis de bonis privatis benefaciendum dicebat.

III. Otium duo mendicantium hominum, quasi fucorum gignit. Qui aculeo carent, debiles sunt, & pusillanimi stipem quærentes; aculeati verò fuci, sunt fortes & robusti latrones, grassatores, aliique scelerum patratores: qui utrique, tanquam duæ civitatum teterrimæ pestes omninò sunt abigendi. Amirat. *lib. 3. dissert. 8. in princ. & lib. 4. discurs. 5.* Sanè & debiles illi fuci, ferri non debent; cùm æquum haut sit, eos alienis laboribus frui; Idem, *lib. 17. discurs. 6.* hacque ratione, & otiosi meritò furibus æquiparantur. Petr. Aerod. *rer. iudicat. fol. m. 454.* Utque nemo se excusare possit, quòd eum deficiat materies laborandi; opera publica extruenda sunt, in quo officii atque humanitatis genere excellunt Antuerpiani, & Delphenses Hollandi; qui publicas opificum officinas habent, easque eximias, in quibus pauperes cives, aut civium filii, publicis sumptibus erudiuntur. Ejusmodi item opificia, disciplinæ & censuræ publicæ causâ, ad coercendos prodigos, malos & vagos homines, nec non mendicos validos, ad laborem compellendos, effrenemque libidinem utriusque sexus domitandam, singulari modo, in Carcere quodam publico à Belgis instituta dicuntur. Lather. *d. cap. 19. n. 61. &c.* Et ita otium cautissimè præcavetur, si desides laborare cogantur, & Ergasteriis includantur, ut præsertim Ambsterodami fieri solet; ubi metu hujus publicæ censuræ, paucissimi inveniuntur in trivio mendicantes, validi, otiosi, prodigi, & id genus inutilia pondera terræ. vide miracula San. Raspini, h. e. Historische Beschreibung der wunderbarlichen Miracul/vnd Wunderwerck in der Kauff:vnd Handelsstatt Ambsterdam/an einem ort/so das Zuchthauß genandt würd/an vilen fürgangen. Hocque institutum vehementer laudat Hippol. à Collibus, *de increm. urbium,* quasi eo vix quicquam urbibus utilius excogitari possit. Sic & Bremensem Civitatem, non ita pridem magnis sumptibus ejusmodi domum, ad salutarem Reipublicæ disciplinam erexisse, ejusque beneficio, multa præcocia ingenia, terreri & emendari refert Reinkingk *lib. 2. class. 1. cap. 7. n. 6.* Ac addit: extare ibidem, in mediâ aream columnam,

in qua depictæ sint scuticæ, virgæ, fustes, ursi & leones; hâc additâ inscriptione: **Kan man doch Löwen vnd Bähren zähmen/solte man dann die mutwillige Buben auch nicht zwingen.** Non item immeritò vetustâ Imperiali lege extitit provisum, validis mendicantibus minimè dari populares annonas, quæ invalidis dabantur, *l. 1. C. de mendicant. valid. lib. 11.* quod & prohibuit Justinianus *in Novell. de quæstor. 80. cap. 5.* ubi de mendicantibus validis ita rescribit: Quibus vitæ decens occasio non est, hos non frustrà esse terræ onera, permittere debere Quæstorem: sed tradere eos citiùs operum publicorum artificibus, ad ministerium, & præpositis panificantium stationum, & hortos operantibus, aliisque diversis artibus, aut operibus, in quibus valent quidem simul laborare, simul autem ali, & segnem ita ad meliorem mutare vitam. Absurdissimum namque est, pellere è Republicâ mendicos, nec eis præbere occasionem semet honestè sustentandi, *ut dixi lib. 1. polit. cap. 9. n. 20.* læsos autem, læsasque corpore, jubet ibidem Justinianus, aut canitie graves, sine molestiâ esse in civitate; aut piè agere volentibus adscribendos. Hacque sanè ratione reditus reformatorum monasteriorum, optimè collocari possent.

IV. Profectò hâc in re, & jam Indorum Chinensium politia, laude dignissima est; quòd in toto Regno, neque in viis, neque ad Templa, ulli feruntur Mendici; & laborare etiam cœci, ac membris manci coguntur: estque nihilominùs alendis iis, qui victum sibi parare nequeunt, modus certus constitutus. *Heig. par. 2. quæst. 27. num. 13.*

V. Validos pariter mendicantes, puniri civiliter quoad partem, & pœnâ extraordinariâ, per Rectorem Civitatis, voluit Bartolus, *in l. vn. in fin. d. t. C. de valid. mendicant.* Eos verò qui se pallidos fingunt, coloribus fucatis, & se vulgò exhibent tanquàm infirmos, ut eleemosynas extorqueant, tanquàm falsarios puniri, censuit Lapus *alleg. 18. in cip. quâ pœnâ.* Nec hanc ob causam solùm arcendi sunt validi & vagabundi mendicantes; ne quæ debentur piè, homini verè mendico, dentur illi, qui se simulat invalidum & egenum: sed & ne sub specie eleemosynæ conquirendæ, Civitatum, provinciarum, & Regnorum secreta rimentur, *Camil. Borel. d. magistr. edict. lib. 2. cap. 16. per discurs.* qui item *n. 21. &c.* refert; in Regno Neapolitano, vagabundis; nec artem aliquam continuò exercentibus, imminere remigum pœnam, ad quinquennium: hancque pragmaticam sanctionem, Ducem Alcalæ proregem, etiam ad Neapolitanos extendisse. Tandemque concludit, si aliqui mendicantes validi essent, & quærerent eleemosynarum quæstum, essentque longè à regionibus suis, vel casu absque pecuniâ, aut longum facientes iter, aliavé justâ causâ, extra patriam, & à suis longè remoti, omnique auxilio destituti;

cum

cum his Judicem optimum, conſiderare debere habitum perſonarum, regionum, ac qualitatum actiones: ex iisque metiri, an ſint miſeratione potiùs digni & ſuffragio, quàm pœnâ. Obſervandum item eſt; plerunque otioſos, imperitos, miſeros, & decoctores, quibus res ex animi ſententiâ non procedunt; aliorum actiones reprehendere ſolere, & convertere ſe ad maledicendum. Gregor. Richter. *axiom hiſtor.* 130. Undè porrò fomes ſeditionum oriri ſolet. Cœterum & in noviſſimis Imperii conſtitutionibus, Lex extat de otioſis, & mendicis, à Carolo V. Imperatore in Comitiis Auguſtanis promulgata, de Anno 1548. quæ poſtea à Rudolpho II. Imperatore in der Policey Ordnung zu Franckfurt/ Anno 1577. ſub Tit. von Bettlern vnd Müßiggängern/ repetita, quæ ita habet: Wir wollen auch/ das ein jede Obrigkeit/ der Bettler vnd anderer Müßiggänger halben/ ein ernſtliches einſehen thue/ damit niemand zu bettlen geſtattet werde/ der nicht mit Schwachheit oder gebrechen/ ſeines Leibs beladen/ vnnd deſſen nicht recht dürfftig ſeye. Item das auch der Bettler Kinder/ ſo ſie jhr Brodt zu verdienen geſchickt/ von jhnen genommen/ vnd zu den Handwercken oder ſonſten zu Dienſten gewiſen werden: darmit ſie nicht für vnd für dem bettel anhangen. Item das auch die Obrigkeit verſehung thue/ das ein jede Statt vnd Commun/ jhre Arme ſelbſt ernehre/ vnd erhalte/ ꝛc. adde Heigium, *d. quæſt.* 27. ubi de otii ac deſidiæ pœnâ, mendicantibus item validis, ac impoſtoribus &c. latè agit. Inprimis autem Philippi Auguſti, Galliarum Regis exemplo, (qui chaſſa de ſon Royaume tous Mommeurs, Meneſtriers, Jongleurs, farceurs, flatteurs, & faineants, & autres miniſtres de voluptè, & corrupteurs de moeurs) *Girard. lib.* 10. *del. hiſt. de France. fol. m.* 880. *tom.* 1. miniſtri voluptatum, otioſisque delicatè vitam tranſigentibus inſervientes urbe ſunt pellendi.

VI. Operæ pretium item eſt, ut certi inſpectores conſtituantur, qui diſpiciant, num prædia, agri, vineæ, horti &c. probè & non ſegniter colantur: atque arbores vel frugiferæ, vel ad foci uſum, ubique plantentur; nos vulgò Feldtſtüßler, indigitamus. Hocque & Romanorum prudentiſſimus Rex Numa, fecit, de quo ita *lib.* 2. *antiquit.* Dionyſius Halycarnaſſæus: Cùm conſideraret, civitati, quæ in juſtitiæ ac temperantiæ ſtudio perſeveratura ſit, neceſſariâ rerum copiâ opus eſſe; univerſam regionem diviſit in eos, qui pagi nominantur: & ſuum cuique pago Magiſtrum, qui eum obiret atque inſpectaret præpoſuit. Hi crebrò perluſtrantes omnia, tàm benè, quàm malè cultos agros, in tabulis deſcriptos, ad Regem deferebant: ille induſtrios agricolas, laudibus & ſummâ comitate excitabat; contrà ſegnes objurgatione, atque etiam mulctâ caſtigatos, ad rura gnaviùs colenda inſtigabat. In Luſitaniâ, mira ſemper

rerum omnium caritas est; qualis in ullâ aliâ regione vix reperitur: causſam hujus rei otio & agriculturæ neglectui, adscribit Nicolaus Clenardus, *epist. lib. 1. ad Latomum, fol. m. 17. &c.* Si usquam, inquit, neglectui habita fuit agricultura, id potissimùm locum apud nos habet. Audis principio, præcipuos populi nervos admodùm debiles; deinde si qua gens ignavo otio dedita est, nisi sit Lusitanica, nulla est prorsus. Quod nisi externorum & nostratium (Belgarum scilicet) turba, mechanicas hic artes exerceret; puto ægrè, vel calcearium, vel tonsorem haberemus. Non est hîc tanta opificum copia; nec receptum, ut merces suas offerant. Prece & pretio fermè constant omnia. Omnes hîc sumus nobiles, & magni probri instar est, aliquam profiteri artem. Etiamsi quartam census mei partem largiar, non assequar mulierculam, quæ more nostrate mihi familiam curet, aut domesticam rem. Mancipiorum plena sunt omnia, Aethiopes & Mauri captivi, omnia obeunt munia. Aegrè reperias domum, quæ non saltem ancillulam hujus generis teneat; ea foris emit quocunque opus est, lavat vestes, verrit pavimentum, effert suo tempore fæces domesticas & humanas; & breviter servam agit, & præter figuram, nil differt à brutis jumentis. Verissimè dictum sensi; in Galliâ velis, nolis, pecuniam profundes; in Hispania, si velis maxumè, non tamen poteris. Unum habeo ministrum nostratem. Quòd si me ad ingenium terræ vernaculum accommodarem; ante omnia mulum alerem, & ministros quatuor. Quî posses? Jejunarem domi, foris splendidè triumpharem, & amarum illud sumerem pharmacum, ut plus deberem, quàm solvere queam. Nam ita demùm perfectus absolvitur Aulicus. Venit in mentem cujusdam, undè conjecturam facies de cœteris. Is quem depingere volo, simultates exercebat cum homine Gallo. Lusitanus fastu externo vincebat, Gallus cœnabat lautiùs: & non ignarus istorum morum, curiositate quadam, & arte nactus est libellum, in quo alterius referebantur diurni sumptus. Incidit in locum ridiculum, & planè Lusitanicum. Cùm enim sic quotidie scriptum esset: In aquam, quatuor sectilia, in panem duo regalia, in raphanum sesquiregale; & ita tota hebdomada, tàm magnificis impensis decurreret: ratus aliquantò lautiorem futurum Dominicum diem: sic scriptum reperit; hodiè nihil, quia in foro non erant raphani. adde la vida de lazarillo de Tormes *tract 3. tit. como Lazaro se asseruio con un escudero.* Et pergit Clenardus noster: Ejusmodi fastuosos χέρα οφάγους multos Eboræ reperias; & tamen plures secum foris trahunt famulos, quàm domi consumant regalia. Imò credo hîc esse, quorum census non est major meo; attamen octo assectis utuntur: quos utcunque, si non grandi cibo, fame tamen sustentant. Nec magni negotii hîc est, inutilem turbam conquirere servorum; quòd

quòd omnia potiùs ferant, quàm artem mechanicam diſcant. Etiamſi etiam dimidium proventuum meorum effundam; non nanciſcar ancillam liberam, aut miniſtrum verè miniſtrum: guſtusque otii ſic paſſim omnes corripuit; ut viri boni, velint, nolint, mancipiis uti neceſſe habeant. Hæcque non exſcripſi, ut quid exprobrem nobiliſſimæ genti; ſed ut incommoda otii, neglectusque agriculturæ, recenti exemplo declararem.

VII. Apud Corinthios etiam lege cautum erat, ut ſi quem viderent ſemper ſplendidè obſonare, hunc rogarent unde viveret, quid faceret operis, an ſuppeterent facultates? Quòd ſi reditus ſufficientes viderentur, patiebantur illum frui ſuis. Sin ſumptus ſuperaſſet, prohibebant ne id in poſterum faceret: ſi contrà faceret, mulctabatur, cogebaturque aliquid operis facere; ut ex Diphilo refert Athenæus *lib. 6.* & meminit Eraſmus *Chiliad. 1. cent. 9. adag. 44.* Utinam hæc lex ubique obſervaretur; minùs certè ganeonum, decoctorum, & turbatorum publicæ, privatæque rei haberemus. Et ita porrò etiam foro cedentes, non hoc impunè ferre debent. Sanè duo Banccæ ruptorum genera ſtatuenda ſunt. Primum eſt illorum, qui decoquunt vitio fortunæ. Inhumanum planè eſt, hos, utpotè fortunæ telis vexatos, puniri. Unde ſtatuta illa illegitima cenſentur, quibus debitoribus non doloſis, ceſſio bonorum (mit einführung deß Schuldthurns/ vel addictionis ipſius perſonæ) denegatur. Hotom. *illuſtr.* 26. Theſaur. *deciſ. 36. & 182. in fin.* Coler. *de Proceß. executiv. par. 1. cap. 9. num. 28. &c.* Moller. *ſemeſtr. 1. cap. 36.* Unde & Gallicum parlamentum, caſſam pronunciavit renunciationem iuratam, beneficii ceſſiones, etiam ſine abſolutione à juramento. Papon. *lib. 10. tit. 10. arreſt. 3.* Secundum verò genus eſt illorum debitorum, qui ſuo vitio ſua amittunt: peſſimum certè hominum genus, & nulla planè miſeratione dignum. Lather. *lib. 3. de cenſu. cap. 15.* latiſſimè Daniel Sauterius, *in praxi Banccaruptorum*, paſſim. Apud hos enim artis laudatiſſimæ eſt, profundere diſſipando atque dilacerando, aſtutè, maleficeq; circumvenire, aucupare atque occupare pecunias alienas: ab initio largè polliceri, in medio frandulentas facere verſuras, & omni fine charitatis ac juſtitiæ reſpectu, tandem fallere omnibus fidem. Hincque apud Romanos, ſi ob æs alienum, creditori debitor addictus foret, poſt patrimonium diſtractum, poſtque vincula & catenas, membra ejus breviſſimo laniatu, ad creditorum lubidinem dividebantur. Alex. *genial. dier. lib. 6. cap. 10.* Omnibus quidem virtutum generibus exercendis, colendisque, populus Romanus à parvâ origine, ad tantæ amplitudinis inſtar emicuit; ſed omnium maximè fidem coluit, ſanctamque habuit, tàm publicè, quàm privatim. Hancque fidem non modò in vicibus officiorum, ſed

in rego-

in negotiorum quoque contractibus sanxerunt; maximeq; in pecuniæ mutuatitiæ commercio atque usu. Adimi enim putaverunt subsidium hoc temporariæ inopiæ, quo communis omnium indiget vita, si perfidia debitorum sine gravi evaderet pœnâ. *Agell. lib.* 20. *cap.* 1. Apud Boëtos, Corbis ignominia instituta erat, in eos, qui æs alienum non dissolverent. Ducebatur enim in forum, sedereque jubebatur; super sedentem, corbem injiciebant. Hacque notatus ignominiâ, infamis censebatur. Stobæus *serm.* 42. Apud Thyrrenos, si quis æs alienum, quod conflaverat, non persolverat; sequuti sunt eum pueri, vacuum marsupium gestantes, ignominiæ causâ. Heraclid. *in polit.* Refert constitutionem Caroli V. Imperatoris in decoctores, Sauterius, *in praxi Banccærupt. par.* 3. *c.* 3. ubi ij cum manifestariis furibus, ejusdem æstimationis & conditionis habentur. Jubentur item Banccæruptores, horum socii, assecłæ, opitulatores; tùm qui fugâ sibi ob debitum consulentes, in urbes, oppida, vicos, aliaque privilegiata loca sese recipiunt; indè educi & abripi, bona etiam eorum si quæ eò detulerunt, indè referri. Namque eò usque malitia decoctorum prolapsa est, ut quod Seneca, *consol. ad Helv. cap.* 12. de exulibus ait; majus sit eorum viaticum, quàm olim patrimonium civium in Republica principum fuit. Voluit item in Galliis Franciscus I. ut fraude detectâ, de reis Banccæruptoribus sumantur pœnæ corporales. Voluit Carolus IX. ut qui per fraudem cederent foro, capitali pœnâ afficiantur. adhibe Mastygem Fallitorum, ejusdem Sauterii: ubi varium jus apud varios populos, debitorum fallitorum pœnis, operosè recensetur. Certè infamiam decoctoribus jam olim Solonis lex irrogavit; cujus apud Laertium verba sunt: Qui patrimonii versuram fecerit, ignobilis & obscurus esto. Quam legem & populi quique observarunt, & omnis generis infamiâ tales notaverunt. Quo facit Constitutio Adriani Imperatoris, de qua Spartianus; Decoctores, inquit, bonorum suorum, si suæ autoritatis essent, catamidiari in Amphitheatro, & dimitti jussit. *vid. Piccart. de c.* 17. *cap.* 4. In Italiâ item, atque Galliâ tales ceremoniæ bonorum cessionibus adhibentur; quæ si non juris, non levem tamen facti infamiam secum trahunt. Estienne Pasquier, 4. *des recher cap.* 8.

VIII. Ut verò otium ob indè paupertatem provenientem, aliaque infinita subsequentia mala, præcavendum est: ita quoque cautio omninò adhiberi debet, ne opes malè acquirantur. Opes enim, injusto modo partæ, durabiles non sunt: ac communis sententia omnium gentium existit; Malè parta, malè dilabuntur. De malè quæsitis non gaudet tertius heres: übel gewunnen/ böslich zerunnen. Richter. *axiom. Oecon.* 37. Melius est modicum justi, super divitias peccatorum multas; *Psal.* 36. quia injustitia, lætitiam aut pacem conscientiæ haut concedit.

Congregans

Congregans non lætatur: Hæres depauperatur. Est in domo impii corrasio divitiarum: sed simul exosio ex parte Dei; qui inibi sustlat: ita ut in marsupium pertusum congregetur; perindè ut Poëtæ de cribro Danaidum fabulantur. Non conservabit vir fraudulentus venationem suam. Proverb. 12. Mala magna, magnas opes subsequuntur: & pecunia magna, rarò est sine magno peccato. Richter. *axiom. Oecon.* 39. Quin & celeres divitiæ, infaustæ censentur: proindeq; & opes ex proventu metallicarum fodinarum natæ, aut in Aulis partæ, aut negotiationibus acquisitæ, durabiles non censetur. Idem, *axiom. Oecon.* 36. pecunia nimia, & animo & corpori avarorum noxia est. Affluentia bonorum, semper aliquid incommodi secum trahit; quibus dulcedinem illam, quasi aceto quodam, temperari vult Deus: frenumque injici cupiditati ac admirationi opum, ne summum in illis bonum esse statuamus. Stultitiam patiuntur opes. Idem *axiom. Oecon.* 40. 41. 42. Homines opulentiâ ignavi redduntur, tardique ad virtutem discendam: ac licet eam didicerint, ad ejus oblivionem & desertionem proclives sunt. Adeò ut paupertas olim vocata fuerit εὐτοβιώτατον virtus: id est, quæ ex se, & citrà Doctorem disceretur; eò quòd homines omnium laudandarum artium dociles redderet, atque capaces. Richter. *axiom. Oecon.* 38. Aristoteles *lib. 1. polit. cap. 5. & 6.* pluribus docet, divitias nimias contra naturam esse. Omnia vitia nasci, ait, ab avaritiâ & ambitione; tanquàm à scaturigine primâ: hasque semina vocat proditionum, perfidiarum, injustitiarum, furtorum, compilationum, tyrannidum, oppressionum, luxuriarum, bellorum, dissidiorum; denique omnium scelerum & maleficiorum. Et difficillimum habetur, virtutem & opulentiam consistere diu simul. Cùm Romæ & Lacedæmone, paupertas & parsimonia non contemnebantur; sed rebus ad vitam necessariis cives contenti erant: tunc temporis gravitas, constantia, moderatio, & æquitas illis in locis regnabat. In pace leges à civibus observabantur; pueri ad virtutem instituebantur: omnesque ordines severâ disciplinâ continebantur. In bello, vigilantes, laborioſi, patientes, intrepidi, prudentes, fortes & invicti non solùm ab hostibus, sed & à miseriis ac calamitatibus belli. Omnibus idcircò modis operam dare principes & Respublicæ debent; ne nimis civium opes & possessiones augescant. Neque enim ulla alia res, plures calamitates unquam in Rebuspublicis peperit, quàm felicitas nimia. Richter. *axiom. histor.* 219. Undè meritò,

Quæ foret è cunctis Respublica prima beata,
Quæsitus quondam reddidit ista Thales:
In quâ prædives nemo sit civis, eâdem
Extremè porrò sit quoque nullus inops.

ut Tarræus Hebius *in amphitheatr. lib. 26. num. 20. canit.* sed proh dolor, nunc vel maxumè si ullo in seculo alio; divitiis multi laborant: & opes habent, quomodò habere nos dicimur febrim, cum illa nos habeat magis. Repetere licet Plinii illud, *lib. 9. epist. 30.* Ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis, quàm possidere videantur. addatur Piccart. *dec. 18. cap. 5.*

IX. Multa hîc dici possent, & deberent etiam, de patrimoniorum æquatione. Sanè nonnulli totius operis politici caput esse docent, de patrimoniis rectè statuere: 2. *polit. 5.* & tamen nescio quo fato, hæc res neglecta, & ignota planè fiet in toto Christiano orbe. Scitum est Aristotelis, *lib. 6. polit. cap. 4.* politici, quàm philosophi præstantioris: Ut populus ad agriculturæ studium inducatur, utiles omninò esse leges, quibus multi antiquitus utebantur; ut prorsus non liceat cuiquam agri plùs certâ mensurâ, vel intrà certum intervallum ab urbe sive oppido, possidere. Refert etiam idem, olim in multis civitatibus, primas sortes (partes scilicet agri, quæ conditâ urbe aut coloniâ deductâ, singulis conditoribus sive colonis distribuebantur) vendi, lege vetitum fuisse. Ac præsertim in popularibus Rebuspublicis (ubi ferè egeni, majorem auctoritatem, quàm locupletes habent, *6. polit. cap. 2.*) hæc olim res multas turbas fecit, indeque descenderunt Agrariæ leges. Et sic Romæ post exactos Reges cuique de plebe, assignata mensura erat, septem jugera, ut Plinius refert. Et ita hâc Aristotelicâ ratione factum est, ut diu populus Romanus maxumâ ex parte agricolis constaret. Nam agri, si per exiguas dividantur partes, omnes cives ejus participes fiunt: qui autem agellum & præterea parùm habent, ij omnes ferè ipsum colere coguntur. Indeque initio Romani, ab aratro ad Consulatum, & Dictaturam vocabantur; ac etiam publico munere functi, redibant ad aratrum. Romani etiam per partes Italiam bello vindicantes, telluris portiones inter se divisêrunt; in hisque vel condiderunt urbes, vel ubi conditæ priùs fuerunt, colonos ipsi sorte duxerunt: agros verò, quos quisque bello adeptus esset, habitatoribus colendos dederunt. Si qua autem tellus, ingruentibus bellis, inculta remansisset, quò multitudine impleretur, jussêre proclamari. Volentes autem agros colere, annua vectigalia publicè pendebant; seminum decimam partem, arborum verò quintam, eorum fructuũ, quos percepissent. Cumque divites, telluris indivisæ portionem sibi magnam vindicantes, & à nemine, ob diuturnitatem auferri posse confisi; quæcunque ipsis finitima, partim suadendo, pretio ad se asciscebant, partim per vim auferebant: ac ita camporum spacia immensa, obsederunt, agricolis in his emptis, & pecoribus utentes; occasionem dederunt civilibus bellis, quæ post totam illam Rempublicam everterunt. vid. Appian. *lib. 1.*

lib. 1. de bell. civil. Jam sanè tandem eò deventum est, ut pauci quidam Italiam totam,& provincias vicinas,velut proprium patrimonium tenerent. Tunc porrò consequutum est, ut quod Varro, *in libr. de rustic.* conqueritur ; non in segetibus ampliùs & vinetis , sed in Theatro & Circo moverint manus,magnanimi Romuli nepotes. Jam enim falcem reliquerant, & aratrum, qui olim, inquit, ita divisérant annum, ut nonis modò diebus urbem adirent,reliquis ut colerent rura. Ac ita descitum à majorum institutis, probitateque ac fortitudine est ; quibus ceu solidis libertatis fundamentis, destructis, haut potuit ea persistere diu. Probè equidem nonnulli judicaverunt,ni rectè de patrimoniis statuatur, seditiones ferè semper exoriri. Itaque Phaleas Chalcedonius civium patrimonia æqualia esse oportere tradidit. Et Solon legem sancivit, quæ agri quantum cuique libeat, possideri vetat. Et pari ratione, apud Locros cautum fuit, ne cui sua bona vendi liceret ; nisi docuerit, sese in manifestam calamitatem incidisse , utque vetera patrimonia salva retineantur. At verò Aristoteles, *d. cap.* 5. hæc omnia pro more sugillat, & non satis esse ait, patrimonia æquari, nisi etiam ad medium spectetur. Sed nec patrimonia, ad mediocritatem redigi prodesse ; nisi cupiditatibus magis etiam, quàm patrimoniis, modus imponatur. Principium igitur, & quasi caput hujusmodi negotii esse , non perperam censet : haut tàm æquationem bonorum, quàm provisionem, ut probi naturâ sic afficiantur, ut plùs justo sibi vendicare nolint, improbi, ut nequeant: ad quod sanè Agrariæ leges etiam aliquid conducere videntur. Præclarè hac de re Petr. Cunæ. 1. *de Rep. Iudæor. cap.* 3. Interest Reipublicæ, ne in possessiones optimè positas, divisasque, paucorum avaritia irrumperet. Fermè enim egentiorem quemque, ditior aliquis pretio expellit ; atque is dum rura in immensum spatiis supervacuis extendit, alios necessariis excludit. Ex quâ causâ incessere interdum rerum conversio solet. Ita enim est profectò: plena hostibus ea Respublica est, in quâ cives plurimi, possessionibus avitis nudati, priscas fortunas votis expetunt, &c. Nam & huc pertinet Jubilæus Judæorum. Inter initia enim, cùm promissam pridem Palæstinam, occupasset armis populus sacer, illicò Mosis jussa secutus summus Dux Josua est. Universam enim regionem in duodecim divisit partes, atque habitandam totidem tribubus dedit. Mox singularum tribuum familias numeravit, & pro capitum multitudine certum cuique modum agri, atque proprios fines dedit. Ita provisum est, uti eâdem æqualitate omnes continerentur. Porrò, ne paucorum opulentia, cæteros opprimeret quandoque,& ne studiis mutatis, cives ad novas, peregrinasq; artes ab innoxio se converterent labore ; legem Agrariam Moyses tulit ; quæ vetuit, ne quis venditione, aut ullo contractu,

plenum dominium fundi ſui, in alium transferret. Nam & iis, qui egeſtate compulſi, agrum vendidiſſent, redimendi jus quovis tempore conceſſit: & ni redemptus eſſet, reſtitui eum gratis, in Jubilæi celebritate juſſit. In eo enim poſitum Jubilæi beneficium fuit, quòd omnes agri ad veteres dominos redibant, etiamſi centies mutaverant emptorem. Nec ij excipiebantur, ſi quos ex donatione aliquos quis accepiſſet. Jubilæorum ſollemnia, annus quilibet quinquageſimus reduxit; ac nulla tempeſtas tantum gaudium publicè excitavit: non enim modò locati rurſus in ſolido ſunt, qui prædia ſua antè alienaverunt; ſed libertas quoque data omnibus ſervis fuit. Petr. Cunæ. *de Rep. Iudæor. lib.* 1. *cap.* 2. *&* 3. Itidem, ſi quamplurimi publici forent agri, ijque viritim locarentur, æquatio quaſi bonorum induci poſſet. Et hoc olim caſci noſtri Germani, in uſu habuerunt. Etenim apud eos, Agri pro numero cultorum ab univerſis per vices occupantur; quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur: arva per annos mutant. Willichius, ad Taciti German. *par.* 1. *cap.* 35. & ibid. Althamerus, *fol. m.* 286. *&c.* Et indè Cæſar, *lib.* 4. *Gall. bell.* privati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt: neque longiùs anno remanere uno in loco incolendi cauſsâ licet. VI. Quin & Barbari illi, qui Romanum Imperium deſtruxerunt; hanc etiam patrimoniorum curam non neglexerunt. Indè bona Emphyteutica, die **Baurenlehen** dividi nō permittebant: ſed ea vel primogenito, vel etiam alibi minori natu cedebant. Dn. Adam Keller de ſucceſs. *tit.* 30. *n.* 20. Ego *de regia ſucceß. & elect. lib.* 1. *diſſert.* 4. *ſub. num* 4. In Galliis item, Angliâ, & Hiſpaniâ, plerisque in locis fieri ſolet, ut prædia nobilia, non ex æquo dividantur, ſed uni ex fratribus obveniant; cæteris pecuniæ ſatis exiguâ ſummâ perſolutâ. Quæ tamen ratio meritò forſan diſplicet Ariſtoteli, 2. *polit.* 5. qui ait, illud malum conſequi exindè; quod multi fiant ex divitibus egeni, quod hominum genus vix non ſit rerum novarum ſtudioſum. Tiberius itaque Decianus, *reſp.* 43. *num.* 28. *vol.* 2. communione bonorum, Nobiles familias conſervari dicit, à diviſione que abhorrere videtur. Maxumè item pernicioſa, ac etiam ominoſa eſt, alienatio rerum avitarum hereditariarum; multis locorum, ſtatutis interdicta. Lather. 1. *de cenſ. cap.* 16. *num.* 4. *&c.* Hinc que originem ſumpſit gentilitius Retractus, Gallis *Retraict lignagier*, indigitatus; de eo que doctè & operosè Tiraquellus libro ſingulari tractat, ac etiam multa de eo habet Papon. *lib.* 11. *tit.* 7. Doctores noſtri jus προτιμήσεως vocant. *lib.* 5. *feud. tit.* 13. *& ſeq.* Certè Familiæ Nobiles, durare diutiùs videntur, quia hanc patrimoniorum non negligunt curam: & quia nempè Majoratus ac feuda habent, quia primogenitura apud quasdam valet, & varia pacta, confraternitates, familiæ fideicommiſſa, &c. quæ inibi frequentantur;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [30] - 28

tantur; quia fœminæ à successione arcentur, vel eidem renunciare coguntur. Hæc cùm haut curent familiæ privatæ, eæ proindè non ita durabiles existunt, citò decrescunt, & earum intermoritur fama. Generale tandem monitum addo: Non tanta opum inæqualitas esset, si omnes & singuli, ad corporis vel animi exercitationem, in operibus necessariis, ac Deo placentibus adigerentur: si laborem fugiens ignavia, luxus, ac pariter curiositas, otiosis speculationibus indulgens, exterminaretur: nemini verò injuriâ aliorum in divitias venire permitteretur: si Mercaturæ, vini frumentique propoliis, ac aliis, rem domesticam maximè juvantibus, etiam de se honestis rationibus, modus legitimus imponeretur; ac demùm fœnus, malæque diteſcendi artes, quæcunque extirparentur ex universo.

CAPVT IV.

An liceat ex sanguine conficere cibum?

COronidis loco subjungo: An hodiè liceat ex sanguine conficere cibum? Sanè quæstio hæc, utcunque otiosa, ac nullius ferè momenti videatur, est tamen admodum controversa. Equidem ante diluvium animalium esus, hominibus concessus fuisse videtur. nam etsi Deus Optimus Maximus dixerit *Genes. 1. v. 29.* primis parentibus nostris; Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui; ut sint vobis in escam: animalium autem caro, quòd ea ab initio hominis fuerit esui destinata, nullibi inveniatur: & tamen neque item Sacrosancta scriptura, memoriæ prodit, homines illo tempore vixisse frumento, bibisse aquam. &c. Nec post eluvionem mundi universalem primùm videntur animalia fuisse homini à DEO in cibum concessa, sed potiùs, quia novus quodammodò videbatur ille Mundus, jus vetus repetitum confirmatumque fuit. *Genes. 9. v. 3.* Danæ. *vetustiss. prim. Mund. antiquit. lib. 2. cap. 2. fol. m. 117. & seqq. ut & c. 3. fol. 189. & c.* Dissentiente tamen Glycâ, *annal. par. 1. fol. 117.* Veruntamen Noacho statim prohibitum fuit, comedere carnem in sanguine, qui est anima ejus, *d. c. 9. v. 4.* Ita ut hæc lex, non cerimonialis censeri queat. Ast & hîc textus multas patitur interpretationes. Sed duo hîc prohiberi à DEO vulgò reputantur, (1.) ne membrum de vivo animali abscissum comedatur. (2.) ne deglutiatur sanguis pecuinus. Otho Gualtperius, *in collat. translat. præcipuar. ad d. Genes. cap.* Repetita hæc sanctio fuit, in veteri Mosaicâ legislatione. *Levit. cap. 17. v. 10. & seq.* Homo quilibet de domo Israël, & de advenis qui peregrinantur inter vos; si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eum de populo suo; quia ani-

ma carnis in ſanguine eſt; & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit. Certè videntur beſtiales reddi, qui ſanguinem edunt; ac ita animum quaſi ferinum ſimul imbibunt; idq; innuere videri poſſit lex tàm Noacho, quàm pòſt Iſraëlitis data. Ita enim Philo, *lib. 2. quod deter. potiori inſid. ſoleat.* Singuli noſtrûm, ſicut ratio numerorum poſtulat, duo ſumus per accidens, animal ſimul & homo: horum utrumque cognatam vim ſortitum eſt in anima. Altera vitalis eſt, quâ vivimus; altera rationalis, per quam ſumus rationis participes. Vitalem habent & bruta, rationali carent. Reguntur autem à Deo, qui rationis antiquiſſimus eſt fons. Vis illa, quæ nobis communis cum brutis eſt, eſſentiam ſanguinem accepit; at illa quæ à rationali fonte demanat, Spiritus eſt: non aer motus, ſed character quidam & effigies potentiæ divinæ, quem nomine proprio Moſes imaginem vocat. Significans, quòd archetypum rationalis naturæ Deus eſt; homo verò imago, ſeu effigies: non illud geminæ naturæ animal, ſed quod eſt in animâ præſtantiſſimum, quod Mens, & Ratio vocatur. Idcirco carnis animam ſanguinem dicit, ſciens carnium naturam à mente diverſam; ſed vitæ, ſicut reliquum noſtrum corpus participem. Hominis autem animam nominat hominem: non hoc ex utroque concretum; ſed illud Divinum opificium, quo ratiocinamur, cujus radices conditor in cœlum uſque protendit. Et hanc propter rationem etiam Empedocles ac Pythagoras eſum carnium, tanquam cæde & ſanguine cruentum, improbarunt. vide Guil. Onciacum, *quæſt. Iuris philos. 36.*

II. Magis adhuc urget, locus Actorum *cap. 15. vers. 29.* repetitus in Canone Apoſtolorum 62. ubi in Concilio Apoſtolorum Chriſtianis præceptum fuit: abſtinere ſe à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſanguine, & ſuffocatis. Idque diu perduravit in Eccleſiâ primitivâ. Conſtat hoc ex Apologetico Tertulliani; qui calumniam de ſanguinis pabulo, Chriſtianis impactam, ita refutat: Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus; qui propterea quoque ſuffocatis & morticinijs abſtinemus, ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos, admovetis; certiſſimi ſcilicet, illicitum eſſe penes illos. per quod exorbitare eos vultis. Sic & S. Blandina martyr apud Euſeb. *lib. 5. cap. 1. in fin.* ad Tortores ſuos: Multùm erratis, ô viri, quòd putatis infantum viſceribus veſci eos, qui ne brutorum quidem animalium carnibus utuntur. Ac prohibet item carnium eſum, Concilium Gangrenſe, *can. 2.* & ſancit non habere ſpem ſalutis, qui non abſtinent eo. Ac quoque Leo Imperator, Philoſophus cognomento, in Novellâ ſuâ 58. gravi pœnâ mul-

ctat

ctat eos, qui sanguinem, intestinis tanquam tunicis infartum Blůt-wůrsten nos vulgò vocitamus) velut consuetum aliquem cibum ventri præbent. Sed verò quâ ex causâ sint jussi Gentiles, æquè ac Judæi, à sanguine abstinere; illa potissima adfertur, ut aliquo licet in re levissimâ, remanente legalium usu, Judæi ac Gentiles, in unum Christum lapidem angularem, faciliùs compaginarentur. Primi autem Christiani, quod Apostoli instituissent, compaginationis causâ, firmiter retinentes; a sanguinis esu atque suffocato, laudabiliter omnes abstinuerunt: eâ verò postmodum cessante causâ, quidam id præstare destiterunt; quidam verò Apostolici culminis reverentiâ, illud ipsum aliquandiu retinendum putaverunt. Quod demùm, totius Occidentalis Ecclesiæ consensu, est æquè laudabiliter antiquatum. Baronius, *Annal. sub An. Chr. 51. nu. 5.* Agnoscenda itaque exindè est libertas Christiana, Ecclesiæque potestas: vide Georg. Cassandr. *in defens. libell. de offic. pij viri, fol. operum 860. &c.* ac Cardinalem Robert. Bellarm. *lib. 4. de Pontif. cap. 16. fol. m. 334.* Nam olim sanguinem reputabant Christiani immundum, non quidem naturâ suâ (ut postea Manichæi senserunt) quippè nunc mundis omnia sunt munda; sed propter Apostolicam traditionem; vixque est ut excusari possint ij, qui censent; Concilium illud Apostolorum, quidquam præcepisse, de abstinentiâ à sanguinis esu, animaliumq; suffocatorũ. Quemadmodum Irenæus, hunc locum bis adducens, semper omittit suffocatum, & nomine sanguinis, homicidium intelligere videtur. Cyprianus item *lib. 3. ad Quirin. circ. fin.* apertè dicit: Apostolos tantùm præcepisse, ut abstinerent ab Idololatriâ, fornicatione, & sanguinis effusione. At verò hosce refutat satis observantia subsequuta, de quo Tertullianus, aliique suprà adducti testantur. Bellarmin. *lib. 2. de Concil. c. 8. à princ.*

CAPUT V.

Continens Discussionem Quæstionum aliquot de Vsuris, & annuis reditibus ex utroq; jure deductam.

Dissertatio subsequens hæc, Anno Christi 1598. à me conscripta, & ad ultimum Junii diem, loco Inauguralis Disputationis, Tubingæ in Academiâ patriâ, sub præsidio acutissimi Jureconsulti, ibidemque Antecessoris celeberrimi, Domini Davidis Magiri, Præceptoris mei observandi, proposita fuit: eamque hûc lubuit transferre, sed multisariè jam olim auctam, & interpolatam. Ac erunt inibi forsan aliqua, quæ lectori placere

cere queant: licet occurrant ubique, iuvenilis tùm adhuc judicii vestigia sat aperta, quæ nolui abolere. I. De Usura, quæ in Mutuo, tractaturus, ſe pono ſubtilitatem & puritatem Latinæ linguæ: in Jure noſtro Civili ſatis adhuc obſervatam; quâ ea Fœnus propriè dici ſolet: *lib.* 1. §. *pacto* 3. *ff. de pignor. l. pecunia in pr. &* §. 1. *ibi, ſed fœnus, l. Gaius* 11. *in pr. l. qui ſemiſſes* 13. §. 1. *ff. h. l. ſi unus* 67. §. 1. *ff. pro ſoc.* §. *Tua tantùm, Inſt. de mand. t. t. C. de nautic. fœnor.* Barcholt. *in tr. de uſur. cap.* 2. à fœtu, & quaſi fœturâ quadam pecuniæ parientis, atque increſcentis; *Agell. lib.* 16. *cap.* 12. *ad fin.* quâ eadem ratione Græcis τόκος dicitur, à τίκτω. Et contentus ſum hac in parte, ſimplicitate Canonici Juris, *cap. putant c. uſura, c. ſi fœneraveris, cauſ.* 14. *quæſt.* 3. *& t. t. extr. de uſur.* & Interpretum noſtrorum: quâ fœnus pro uſurâ: ac è contrà: ut & uſurarius pro fœneratore, (ſemperque in malam partem, Molin. *tr. de commerc. & uſur. ſub. n.* 4. *vers. quandoq; etiam,* Conradus Paulus *tr. de uſur. c.* 7. *lib.* 1. videatur *l. ult.* §. 2. *ff. quod met. cauſ.*) accipitur indiſtinctè.

II. Uſura hæc, ex negociationis inſtituto initium ſumpſit. Reſpectu namque negociationis & mercaturæ, pecunia non ampliùs res ſterilis eſt, & ultrà ſimplicem functionem alios uſus habet. Et ita intuitu hujus conſiderationis, evaneſcunt argumenta pleraque Philoſophorum, impugnantium uſuram: cum ſuæ utilitati inſervire, ſine alterius injuriâ, cuilibet ſic conceſſum; hujusque reſpectu, mutuum etiam ſub uſuris contractum, in mutuatarii tantùm gratiam, præſumitur factum. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 70. Ac cùm ita pecunia non ampliùs ſterilis exiſtat; haut naturalis æquitas poſtulare videtur; ut pecunia non niſi gratis utenda concedatur: quippe hanc eandem propter rationem, locatio-conductio ex vita communi tollenda eſſet; nam & veteres collocare pecuniam dicebant, quaſi locare. Hotom. *illuſt. quæſt.* 40. *à princ* Pecuniæ quidem commodum, in uſurâ adparens, non naturale eſt: Gothfr. *ad l. ſi navis, in fin. princ. ff. de rei vindicat. vid. l. uxori* 24 *ff. de uſu & uſufr. legat.* hincque aliud reditus eſt, aliud fructus, *l. deducta* 58. §. *cùm autem, ff. ad S C. Trebell.* Ejus enim per ſe, ſuique naturâ, nullus eſt uſus: niſi in ſimplici, & non lucratoriâ functione, ſeu permutatione. Molin *h. nu.* 441. Indeque Mutuum, juris ſubtilitate gratuitum eſt: *l. ſi tibi decem* 17. *in prin. ff. de pact. l. rogaſti* 11. §. 1. *ff. de reb. cred. l. cùm ultra* 9. *C. de non numer. pecun. addatur l. per retentionem* 4. *in pr. C. h.* quâ eadem, *in l.* 121. *ff. de verb. ſign. ut & l. fin.* §. *fin. C. de jur. dot.* profertur: Uſuram non naturâ, ſed jure, id eſt, non ex corpore pecuniæ, ſed partium conventione provenire. At verò non impediunt hæc, quò minùs juſtè uſura ſtipuletur: pariter ut mandatum, gratuitum ſui naturâ: haut prohibet operarum locationem. *l.* 1. §. *ult. ff. mand.* Quin etiam uſuræ jure civili, ita

æquæ

æquæ reputantur: ut eæ indebitæ, hoc est, non promissæ, si solvantur, ut naturaliter debit.. nequeant condici, *l. si non sortem 26. ff. de condict. inde b.* Robert. *2. animadvers. cap. 15.* Aequitate, nil differt Mutuum à Commodato: ut & nomine conveniunt apud probatos Auctores. Cicero *pro Cælio*, aurum commodare. Plautus *in Asinar.* Minàs argenti commodare. Utque commodatum, locationi: ita Mutuum, usuræ respondet. Fereque rerum duplex est usus: unus in mutuo & commodato, alter in locatione ac usura adparens. Huncque posteriorem pecuniæ usum: provenire dico, ex recepto ubivis ferè gentium negociationis & mercaturæ instituto: cumque negociatio, apud diversos diversa sit: exindè usuræ determinationem, sive taxationem, Juris civilis esse patescit, *arg. l. 3. in fin. ff. de eo, quod cert. loc.* Gerson. *tr. de contract. considerat. 5. 9. 19.* Goeddæ. *vol. 2. Disp. 12. th. 1. lit. g.* vid. Petr. Frider. Mindan. *tr. de extrah. proceß. lib. 2. cap. 73. num. 4.* hoc est, major concedi potest illis in locis, ubi majus ex pecuniæ usu percipi solet emolumentum. Ut & eandem propter rationem, pro conditione personarum, usuræ modus in Iure Iustinianeo variatur, *l. eos qui 26. §. super, C. h.* Molinæ *in tr. de usur. n. 127.* Adpositè hîc, cum Alexandr. *cons.* 180. *in fin. lib. 7.* statuere me puto: statutum permittens fœnerari Judæis, ad rationem tot denariorum pro librâ: haut permittere id in analogicâ taxatione frumentariæ usuræ. Ratione etenim frumenti, si mercaturam exerceret Judæus: jam non mercator, sed propola, ac fœnerator esset. Negotiationis itidem respectu, rationeque variationis hujus; apud nos & alibi passim, Mercator venditor, ex morâ semestrali, vel paululùm diuturniori (contrà ac communiter aliàs, *l. Iulianus* 13. §. *veniunt* 20. *in fin. ff. de act. empt.*) usuras non percipit pretii ab emptore. Molin. *d. tr. quæst. 22.* esset namque lucrum merum, non legitimum interesse. At verò usuræ ratio generalis, juris gentium secundarii est: contra jus gentium primævum. Frideric. Tileman. *vol. 2 Disp. ad ff. disp. 2. th. 4.*

III. Usuram magna pars, & communis ferè Schola Theologorum, Philosophorum, Politicorum, Canonistarum item & Legistarum, simpliciter damnat: & in se, ac per se crimen continere censet. Chemnitius *par. 2. Locor. commun. Thelogic. loc. de paupertate, cap. 6. fol.* 198. ubi *num.* 2. ait: Constituendum est, ex certis & perspicuis testimoniis scripturæ, usuram nõ esse rem per se & suo genere bonam: nec ita mediam, ut ex usu, vel abusu judicetur: & moderatio quidem probetur, excessus verò tantùm damnetur: sed esse actionem, per se & suo genere malam. &c. Winckelman. *par. 2. Disp. Theol. Marpurg. Disp. de usura, per discurs.* ubi *thes.* 15. ait: Omnem usuram, quocunque veniat nomine, ut rem per se malam, in primis in populo Dei, edàem fide, iisdemque legibus devincto,

prohibitam & damnatam dicimus. Sotus *b. de Iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 1. Lopez. *Inſtruct. conſcient. par.* 2. *cap.* 54. *quæſt.* 1. M. Philip. Cæſar, Göttingenſis Eccleſiæ Superintendens, *tr. de uſur.* Ariſtot. 1. *polit.* 6. Plutarch. *in libel.* περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. *& in vitâ Catonis.* Appian. 1. *de bel. civil.* Caſus *in Sphær. Civit.* 1. *c.* 7. Bodin. 5. *de Rep. c.* 2. Covarruv. 3. *reſol.* 1. Petr. Gregor. Tholoſan. *Syntagm. jur. c.* 3. *lib.* 22. *& in tr. de uſur. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 8. Alphonſus Villagut. à Neapoli, *tr. de uſur. quæſt.* 1. *& c.* Affli-ctus, *Conſtit. Neapolit. lib.* 1. *rubr.* 6. *de uſur. puniend.* Cacheran. *deciſ.* 137. *num.* 9. Petr. Royzius, *deciſ. Lituan.* 5. Clarus §. *Vſura num.* 3. *& c.* Schurpff. *conſ.* 3. *&* 50. *cent.* 2. *& conſol.* 83. *cent.* 3. Göden. *conſ.* 109. *num.* 67. *& c.* Sichard. *ad rubr. C. h. n.* 2. *&* 3. Schneidevvein *ad* §. *omnes actiones, n.* 12. *Inſtit. de action.* Conrad. Pauli, Brunſvvicenſis, *tr. de uſur. lib.* 1. *c.* 1. *& ſeqq. uſq; ad* 7. Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. iudic. quæſt. caſ.* 398. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 5. *num.* 5. Coraſ. *miſcell.* 3. *c.* 21. *num. ult.* Hotom *quæſt. illuſtr.* 40. *& tr. de uſur. paſſim.* Veruntamen uſuram, per ſe: non naturali jure prohibitam eſſe, innui jam ſuprà *n.* 2. Quodque Molinæus, *hic n.* 36. ſcribit: non inveniri ullo unquàm tempore, apud quascunque gentes, uſuras communi lege permiſſas eſſe: hoc intelligere licet, de uſurâ non taxatâ. Nam ſanè & ante Juſtinianum, haut licebat in infinitum eas ſtipulari. Barnab. Briſſon. 3. *antiquit.* 1. Quod autem nonnulli, etiam Juſtinianum noſtrum, uſuras prohibere, eásve Jure civili non concedi putant: *per l. cunctos*, C. *de Summ. Trinit. & Novell.* 131. ubi adprobantur omnia ea, quæ in quatuor primis Conciliis deciſa erant: in Concilio autem Nicæno uſuræ damnantur, *c. quoniam diſt.* 47. Id infirmum argumentum eſſe videtur. namque in titulis aliis, ejusdem Juris, uſura legitima, diſertè adprobatur: nec talis ſanctio generalis ſpecialem correctionem inducit, *l. præcipimus* 32. §. *ult.* C. *de appellat.*

IV. Sed verò in Jus Canonicum, hanc circa quæſtionem, preſſiùs inquirere, operæ pretium eſſe puto. Certè paulò antè relatam, uſuris iniquiorem opinationem, Jus præſertim Canonicum adprobare, communis ferè omnium ſententia eſt. Panorm. *in c. cum ſit, num.* 18. *de for. compet.* Covarruv. 3. *variar.* 1. *num.* 7. Salicet. *in auth. ad hæc num.* 3. *&* 5. ibidemque Bald. *n.* 2. C. *h.* Sichard. *ad rubr. C. eod. num.* 2. Hotom. *ad c. quia in omnibus, c. conſuluit, c. navigantı, ext. h.* vid. Molin. *h. n.* 515. *& c.* Lagum, *meth. iur. civ. par.* 3. *cap.* 6. *num.* 7. Ego ullius ſine præjudicio puto: uſuram ſolùm formalem: de qua Molin. *h. n.* 5. *ſibi contrarius, n.* 75. id eſt, cùm pro ſolo officio mutuationis aliquid ſumitur, vel expetitur lucri, Jure Canonico prohibitam eſſe: præſertim quod attinet ſententias generales morales, ex Patribus contra uſuras diſputantes, deſumptas: inibique extantes. Particulares & novas conſtitutiones ejusdem, ſi cui manife-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [36] - 34

manifeſtiores videantur, quàm ut dicto jam modo, ad formalem uſuram reſtringi queant (ut eſt *c. ſuper eo, c. quia in omnibus, c. conſuluit, & c. extr. h. clem. un. de uſur.*) eas ſecundum Sacroſanctæ ſcripturæ dicta, quæ in confirmationem ſuæ ſententiæ allegant, explicandas eſſe: aut verò in totum rejectas, & nos, qui non agnoſcimus Pontificiam Iurisdictionem, haut ligare, reſpondere quimus. Nam & judicio ipſorum Canoniſtarum, quatenus ſuprà formalem uſuram, politicam reprobant, diſpenſabiles eæ reputantur. Villagut *hîc quæſt.* 14. *num.* 22. Quamvis tentari, & non improbabiliter forſan dici poſſit: omni Iure Canonico, uſuram prohiberi, non verò intereſſe. *arg. c. precaria, vers. cùm ratio* 10. *quæſt.* 2. Intereſſe, inquam certum, liquidatione partis; non definitione legis, *arg. c. navigandi, ext. h. iunct. c. per veſtras* 7. *de donat. int. vir. & uxor. c. ſalubriter, cap. fin. §. ext. h.* Baptiſt. Lupus *tr. de uſur. com.* 1. §. 6. *num.* 122. Petr. Greg. Tholoſ. *lib.* 2. *c.* 5. *n.* 9. Villagut *quæſt.* 18. *& ſeq.* vid. Molin. *n.* 9. *& c.* Fachin *lib.* 2. *controv. cap.* 48. Ab hac tamen liquidatione, non ſine ratione, contra Molinæum, *n.* 584. Bodinum, *dict. loc. fol.* 529. & Petr. Gregor. *lib.* 2. *cap.* 13. periculum non metuere ſtatuto poſſunt, perſonæ privilegiatæ: *arg. c.* 1. *in fin. ex. h.* iisque uſuræ taxatio ſpecialiter permittere, præſcribique poteſt: ne onerentur probatione, ac ſi nequeant intereſſe probare, cogantur egere. Quam eandem propter rationem, *in l.* 30. *ff. h.* uſuræ pecuniæ ad Rempublicam ſpectantes, ex pacto debentur. Sed quòd jus Canonicum ita de uſuris ſentire dixi: eò me ducit ejusdem juris finis: qui eſt, introducere honeſtatem, contra id quod licet: Dd, *ad l. non omne* 144. *in prin. ff. de Reg. Iur.* vid. Fortunat. Garcian. Hiſpan. *tr. de fin. ult. civil. & Canon. Iur.* Lancelott. *Inſtit. Iur. Canon. lib.* 1. *tit.* 1. ſeu purificare prophanitatem civilis juris, paganiſmum in multis adhuc redolentis, aquâ quaſi luſtrali Chriſtianæ Religionis. Quo intuitu Crantzius, *in proem. Metropol.* dicit: à Chriſtianiſmo omnem nobis ortam & inductam eſſe civilitatem. Et ita in terminis noſtris, quamvis licitum ſit de jure civili, ſtipulari uſuras; quia regulariter præſumitur, intereſſe mutuanti, pecuniâ ſuâ carere: Iure tamen Canonico haut honeſtum reputatur, ſi exigat is, cujus reverâ non interſit, & in quo ratio legis civilis ceſſat: quæ tamen ratio ceſſans, non facit deficere civilem obligationem.

V. Et porrò ex hactenus dictis eluceſcit: ſolam uſuram in mutuo, (quæ propriè fœnus eſt) Iure Canonico prohibitam eſſe, *cap.* 6. *ext. h.* Vaſquius, *de ſucceſſ. tom.* 1. §. 6. *num.* 20. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 5. *num.* 1. *& 4.* Lælius Zecchus, *tr. de uſur. cap.* 2. In tantum, ut ſpecialiter dicta uſura (quæ definitur, *in l. cùm quidam* 17. §. *ſi pupillo* 3. *in fin. ff. h.* vid Hotom. *lib.* 1. *de uſur. cap.* 5. *& 6.*) licita reputetur. Molin. *quæſt.* 74. Gail. *dict. loc.*

loc. num. 15. Hujusque rei exempla dat Petrus Gregorius Tholosanus in socio, qui nomine communi domum refecit, *l. si proponas*, C. *de ædif. privat.* in usura rei judicatæ: *l.* 1. *&* 2. C. *de usur. rei iudic.* in usurâ pupillari, *l. qui sine vers. quoniam, ff. de negot. gest. &c.* Ne scilicet generaliter contractus eluforii reddantur, *arg. salubriter ext. h.* Molin. *n.* 523. *&c.* Et exindè etiam adparet, non rectè à quibusdam *d. c. salubriter*, ex doctrinâ Bartholi, *in l. Insulam*, §. *usuras, ff. solut. matrim.* post Innocentium, & Iohannem Andreæ, *in d. c. salubriter*, ut & Covarruviam *var. resol. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. *vers.* 6. *&* 7. ad uxorem pauperem restringi, vid. Anton. Thesaur. *decis. Pedem.* 43. *&* 45. Fachin. 3. *controver. cap.* 101 *& seq.* adi quoque Hartm. Pistor. *par.* 1. *quæst.* 4. Indubiè quoque & indifferenter concludo; valere reditum annuum legatum; de Canonico quoque Iure, contra Bartolum post Castrensem, Iason: *ad l. cunctos populos, n.* 29. C. *de summ. Trinit.* etiamsi testator expressè in testamento mentionem faciat usurarum, *vid. l.* 3. *in fin. ff. de ann. Legat.* Quod postremum tamen negavit post Alciatum Molinæus, *quæst.* 73. *num.* 484 add. Roland. à Vall. *cons.* 55. *vol.* 2. Ut & contra eundem Molinæum, *n.* 486. dispositionem *d. l.* 3. non odio usurarum receptam puto: ita ut si eæ in testamento non exprimantur, illa cesset, sed ratione expressionis quantitatis. Hîc nescitur, quis sit ille probabilis modus usurarum, secundum quem *in d. l.* 3. moderandam esse testatoris voluntatem respondetur? Sanè si testator mercatori vulgares usuras, de expressâ quantitate leget solvendas, eum non conqueri posse puto: ut & heres renuere haut debet præstationem usurarum graviorum. vid. Molinæ. *n.* 489. contra quem ibidem sanctionem Novellæ 121. (de particulari solutione usurarum in duplum computandâ) non hîc locum habere autumarem: cum quippè reditus annuus, nec fœnus debeat reputari. *Novel.* 160 *c.* 1. *vers. præsens.* Tandem & in hoc inquiri solet: An pœna contractui mutuationis adjecta, jure Canonum adprobetur? Ego idem hîc, quod in usura statuendum esse puto. *vid c.* 9. *suam. in fin. ext. de pœn. fac. l. pœnam* 44. *ff. h. l. cùm allegas* 15. C. *eod.* Sichar. *ad d. l.* 15. *num.* 9. *&c.* Schneidvv. *ad §. omnes autem actiones* 21. *n.* 12. *Inst. de act.* adde Villegut. *quæst.* 20 Dis. Ias. *ad l. rogasti* §. *si tibi n.* 10. *ff. si cert. petat.* ut & in Antichresi: Petr. Gregor. *lib.* 2. *c.* 10. nisi feudum patrono sit oppignoratum. Molinæ. *ad consuet. Paris. tit.* 1. §. 1. *gloss.* 7. *n.* 17. 20. *&* 25.

VI. Verùm multi etiam jam olim; & cumprimis post Catholicæ Religionis immutationem; omnes qui à veteri Ecclesia secessionem fecerunt; Canonum & adhuc magis Decretalium auctoritatem, non solùm planè conculcare inceperunt: sed & vetustissimo, ut dicunt, reducto more; Concionatoribus nostratibus, nil nisi censoriam potestatem liberam,

ram, omni sine Imperio, reliquerunt. Cujus tamen prætextu, etiam non-nulli Pontificis Maxumi potestatẽ, politicè tueri posse volunt. vid. Goeddæ. *ad cap. 1. de sequestrat. n. 73.* Bodin. *3. de Rep. cap. 3. fol. m. 278.* Frideric. Tileman. *Disp. ff. par. 2. Disp. 18. in corollar.* Et quidem quòd attinet usuras; sic dicunt Reformati: Lapsu fatali, & revelatione filii perditionis (quem Pontifices Romanos omnes, post B. Gregorium Magnum, repræsentare censent) existere incipiente; mox fucum ejusdem Constitutionum, & hîc detectum esse. Ac nempè Pontifices callido commentò, omnia ad suum forum trahere voluisse: sicque & ex usura rem spiritualem efformasse; ut scilicet pertineret ad Canonicum forum, id quod & negant quidam, Catholicæ Confessioni aliàs addicti; vide Molinæ. *h. n. 70 87. 155. &c.* Covarruv. *var. resol. 3. c. 3. à prin.* Cavalcan. *decis. 2. par. 2. n. 38. &c. ac 76. &c.* Cacheran. *decis. 137.* Kirchov. *com. conclus. cent. 4. concl 14.* Schurpff. *cent. 2. cons. 50.* Decian. *prax. crim. 4. c. 27.* Petr. Greg. *h. l. 3. c. 10.* Quamvis nemo non concedat, eam misti fori esse posse; id est, ut inter Laicos corã Laico, inter Clericos, coràm Ecclesiastico judice de illa disceptetur, *arg. Clem. dispendiosã, de Iudic.* Et indè porrò, etiam contra Sichardum, *ad rubr. C. h. n. 4.* propugnari solet; Episcopos & Iudices Spirituales, in terris Imperii contra usuram facere statuta; vel Laicos, qui aliàs non sunt sub sua Iurisdictione, coërcere non posse. Haut abnuunt, in Iure Canonico Ecclesiasticas contineri censuras, circa usuras; sed nõ ideò delictum esse spirituale censent. Cùm & eodem modo, homicidium tale esset; ac plerunque circa usuras, in casu tantùm necessitatis per Ecclesiasticam censuram procedatur, *c. debitores, ext. h.* Sicque passim usuræ legitimæ, ad evitanda innumera incommoda, omnibus expertis, rerumque usu præditis quæ nota sunt, frequentari cœperunt. Ac inter antiquiores usuram comprobarunt Baldus *in c. 1. n. 4. de iureiur. & in l. cunctos populos, n. 3. de summ. Trinit.* Cum quo consentit Alciatus *in l. usura n. 10. ff. de verb. sign.* Recentiores sunt infiniti ferè, qui faciunt hoc idem. Molinæ. *passim in tr. de usur. præsertim quæst. 2. & 14.* Petr. à Well. Donel. *c. 2.* Borcholt. *h. c. 1. à num. 6. usq; 7.* Lagus *in Meth. lib. 3. c. 6.* Coler. *de proces. execut. 1. C. 10. nu. 30. & mult. seq.* Wesenbec. *in paratit ff h.* Frid. Tilem. *vol. 2. Disp. 2. th. 2. & 3.* Petr. Frider. Mindan. *lib. 2. c. 72. n 7.* Iacob Andreæ Theol. Doct. In der Abfertigung deß Gegenberichts/ dero zu Regenspurg geurlaubten Predigen/ & *passim in concionibus suis* vom Wucher. Collegium Iuridicæ Facultatis, in Academia Tubingensi, in Consilio, dato inclyto Senatui Ratisbonensi, iuncto iam dicto Tractatui Dn. D. Iacobi Andreæ. Iohan. Calvin *sparsim ad dicta Sacrosanctæ scripturæ, de usura ac mutuo quæ agunt.* Lambert. Danæ. *2. Ethic. 15.* Rudolph. Goclen. *Disp. Ethic. 28. per tot.* Ego

reverenter quidem semper sentiam de Canonico Iure, veréque inibi Thesaurum reconditum puto, piæ variæque prudentiæ ac eruditionis: sed tamen patrocinium suscipiam nunc posterioris jam modò dictæ opinionis; idque ut fiat, nonnullis summa necessitas esse videtur: vid. Donel. *h. c. 2. in prin.* nec præter officium Iureconsulti, *l. 1. §. 1. ibi, licitum ab illicito, & c. l Iustitia, ibi, divinarum, ff. de Iustit. & iur.* vid, Molinæ. *h. num.* 70. Brisson. *4. antiq. 16.* Inprimis autem, utriusque fœderis hâc de re textus, accuratiùs examinare, operæ pretium esse puto.

VII. Primùm ergò videamus; An jugo Christi non conveniat usura? Sanè dictum Salvatoris nostri, Luc. *16. vers. 34. & seq.* non agit de usurâ, sed sortis ipsius amissione: hocque evincit illud, quod ibi habetur; Et si mutuum dederitis, à quibus speratis recipere, quæ gratia vobis; nam & peccatores peccatoribus fœnerant, ut recipiant æqualia. Fœnerare autem ibi denotat mutuum dare; quod alii docent. Verùm sciendum est omninò, non mutuum solùm ac usuram; sed & omnia ferè politica, in novo Testamento, primo intuitu, prohibita adparere. Sic enim contra legitimam defensionem & judicia pugnare videtur textus; Lucæ, *cap. 6. vers. 27. usq; 31. & 37.* contra legitimas possessiones & judicia, Matth. *c. 19. vers. 21. & 24.* contra Iuramenta, Matth *5. vers. 34. & 37.* contra conjugia, 1. Corinth. 7. *vers. 27. 32. & seq.* contra amorem parentum, Luc. *c. 14. vers. 26* contra politicam potestatem, Luc. *c. 22. vers. 26.* Rudem me in Theologicis subtilitatibus esse, fateor planè; maloque pio consensu antiquitatis venerandæ in simplicitate accommodare fidem, quàm proponere ea commenta. Verùm repetam nunc solùm, quid hâc de re censuerim jam olim. Et nempè contra hujusmodi, modò prolata dicta, politicè ut defendatur: ejus à Theologiâ diversitatem (quæ magna esse videtur, *arg. Ioh.* 18. *v.* 11. *& 36. Luc. c.* 12. *v.* 13. *& seq.* Molinæ. *h. n.* 87.) examinandam; eamque in collateralitate, non subalternitate consistere, reputavi. Porphyr. *lib. de occasionibus ad intelligibilia*, apud Stobæum, *serm.* 1. Quid autem etiam aliàs, illa collateralitas faciat, adparet ex eo; quod Salomon, *Proverb. c.* 20. 22. *&* 27. contra Christianam charitatem, fideiussionem reprobare videtur. vid Molinæ. *h. quæst.* 52. ubi si medio collateralitatis, sive diversæ considerationis in artibus diversis, non sustineretur sapientissimi Regis dictum (quod Oeconomicum planè est, & suo loco non prohibet officium Christianum) absurdè cum Conradó Pellicano, *ad c 6. proverb.* fideiussor haberetur pro peccatore, vel ad minimùm pro stulto. Et intuitu collateralitatis; physicè nullum punctum indivisibile est, quod tamen Mathematici assertant. Sic quoque Theologia & Politice haut sunt disciplinæ subalternæ, & subalternatæ; quemadmodum Physica, verbi gratiâ, & Medicina Sed diversæ

versæ omninò sunt & collaterales; indeque de genere non est in genus transcendendum, nec ex Theologiâ (ita propriè dictâ) simpliciter, ad destruendum aliquod politicum axioma deducendum argumentum. Namque cum diverso planè modo atque respectu, considerent rem unam, haut eadem demonstrata parere possunt. Theologiam autem cum politicâ esse collateralem; nôn subalternam; probare videtur illud nostri Salvatoris, dum adulteram haut secundum Mosaicæ legis Iudicialem partem, capite damnat: sed potiùs pœnitentiam agere suadet. Cùm itaque hîc apparenter pugnantia seu diversa statuat Theologia & lex civilis, non possunt esse disciplinæ subalternæ. haut enim scientia superior cum inferiori pugnat. Sed hæc eorum collateralitas ex eo est; quòd animum informat Theologia: Politice externam conversationem, & societatem conservat. vid. Frider. Tilem. *Disp. pandect. 1. th. 3. vol. 1.* Politicè ergò intelligenda sunt ea dicta; quæ politias probant; *Rom. 13. vers. 1. usq; 8. 1.* Petr. 2. *vers. 13. & seq.* Matth. 22. *vers. 21. add. cap. solitæ, extr. de maiorit. & obed.* cùm Christus ipse jurat: Amen, Amen, dico vobis, &c. cùm juramenta probantur; Hebr. 6. *v.* 16. & cùm infideli deterior iudicatur, qui domesticorum curam non habet, 1. Timoth. 5. *v.* 8. politicè, inquam, hoc est, respectu externæ conversationis, omnia illa sunt intelligenda; Theologia verò ea permittit, simulque informat: dum docet, omnia ad Deum esse referenda, nostros non esse amandos nisi in Deo, non nos defendere debere animo irato, cupidoque vindictæ; bella non esse gerenda ambitiosa, sed intentione purâ, Ecclesiæ, proximique nostri tuêdi causâ; Mutuum à proximo nostro, haut repetendum esse avarè, & neglectâ charitate; usuram non expetere nos debere, nisi sciamus, utilem fuisse alteri pecuniam nostram, aut nobis eius carentiam nocuisse, &c.

VIII. Ex hisce, manifestum evadit: illa omnia, si per se, vel politiæ honestæ ratione proba sint, Gen. 1. *infin.* Syracid. 39. *vers.* 32. 39. 40. Sapient. 1. & 11. & externa maneant: proba quoque esse Theologicè, nec nocere Christiano (exterho enim homini omninò iis opus est, 1. Corint. 7. *v.* 2.) non verò si animum intrent, 1. Cor. 7. *ver.* 30. *& seq.* Matth. 5. *v.* 3. c. 6. *v.* 21. *iunct. c. ult.* 1. Timoth. *vers.* 17. Lutherus, *ad d. c.* 5. *Matth.* quod vitium Theologi nonnulli, das annehmen / vocant. Intentio enim vitiosa, etiam quæ per se non perversa, mala facit. Indeque est alia bonitas præter substantialem: relativa scilicet, seu moralis. Adde La Nouë *Discurs.* 23. §. Ich will aber auch demselbigen, *fol.* 605. Et etiam ad intentionem Seneca intendit; dum *epist.* 14. inquit: sic gerere nos debemus, tanquam non propter corpus vivere debeamus: sed tanquàm non sine corpore. Quâ eadem quoque ratione, Platoni, in *Phædro*, Philosophia mortis

mortis meditatio adpellatur, Goclen. *problem. Ethic.* 1. Et porrò etiam putarem, usuram non hîc prohiberi, ut alibi homicidium: Genes. 9. *v.* 6. *& seq.* Exod. 20. *v.* 14. quòd tamen quidam volunt, *arg. can. ab illo* 14. *quæst.* 4. (quem tamen Canonem, non esse Beati Ambrosii; sed cujusdam hæretici, Ambrosii Adoperti, tradunt Summerhart. *de contract. quæst.* 42. Biel. 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 11. *sub lit. L.*) vid. Petr. Gregor. *lib.* 2. *cap.* 15. Villagut. *b. quæst.* 24. Ut nec in veteri Testamento, eo respectu Iudæis contra peregrinos concessa fuit: ut vult Villagut. *quæst.* 4. vid. Deuter. 23. *vers.* 20. *iunct. c.* 22. Exod. *vers.* 2. & Conrad. Pauli, *tr. de usur. lib. 1. c.* 2. sed ubique, tàm in contractu, quàm delicto; etiam coràm mundo rectis & justis (ut est emptio proportionata, homicidium propter defensionem) eâ qualitate, quâ in mundo; aliud insuper in foro animæ requiri: nimirùm ne in terminis nostris usura committatur mentalis; & quæ committi potest in omni contractu. Gail. 2. *obs.* 5. *n.* 2. *& 3. c. in civitate 6. in fin. ext. h.* Et ita in iis, quæ politicè honesta sunt; adhuc intentionem malam, aut mundanam removet Salvator noster; non prohibet rem ipsam: cùm is animum curet, non destruat vel fundet Imperiorum status; formam verò & modum ejusmodi rerum, & ne noceant publicè vel privatim, curat lex civilis. Sicque nostrates censent; non extra mundum in hisce paradoxis, hominem ducendum, perfectionisve, contemplativum, aut consilii constituendum esse statum: vid. La Noue *Discurs.* 25. *per tot.* idque contra Beati Pauli consilium. 1. *Cor.* 7. *v.* 29. esse putant. vide Musonium Stoicum, apud Stobæum, *serm.* 37. Et tamen ad distinctionem inter consilium & præceptum, confugiunt ferè omnes, in decisione quæstionis; An de foro poli, sui defensio concedatur? Vasquius, *illustr.* 18. *n.* 11. vid. Dn. Georg. Obrechtum, *Disp. ad L. ut vim 3. ff. de Iust. & iur. th.* 25. *&c.* Cùm forsan satius sit, dicta pro negativâ facientia, interpretari de animo inimico, seu irato, in ipso actu; Danæ. 2. *polit. c.* 13. *fol.* 183. qui politico jure non punitur. Quemadmodum etiam ad consilii statum Scholastici restringunt dictum illud Lucæ, *c.* 6. de gratuitâ mutuatione. Villagut. *quæst.* 6. Multò minùs cum Platone, *in libris de legibus & Republicâ*, Anabaptistica Respublica est constituenda. Quæ omnia contra naturam humanam post lapsum, seu Ius gentium secundarium sunt. (namque ex sententiâ Roberti Marantæ, *par.* 3. *n.* 1. *&c.* haut absonum esse puto, contra Bronchorstum, *cent.* 1. *assert.* 1. Ius gentium primævum, statu Adami primævi; secundarium statu hominis hodierno post lapsum, definiri. vid. Frid. Tilem. *Disp.* 1. *th.* 13. *vol.* 1.) Quam naturam præsentem nostram abolere, & primævam reducere, si Legislator posset; nullis ampliùs legibus opus foret. Hancque impuram, mundam esse mundis (seu credentibus in Christum) à Beato Paulo edocemur, ad Titum,

Titum, *c.* 1. *v.* 15. Verùm hâc de graviſſimâ quæſtione alios audire malim; nunc enim iteratò proteſtor, me, quæ olim meditatus ſum, hîc recenſere, & cùm ætate ignorare, non explicare talia didiciſſe.

IX. Sed alia inſpectio ſuccedit; Quid de lege Moſis judicandum ſiet, uſuras prohibente? Exod. 22. *v.* 25. Deuter. 23. *v.* 19. Ezech. 18. *v.* 13. Pſalm. 14. *v.* 5. Ejus enim legis politica pars, meritò nobis exemplo eſſe debet; Bodinus *lib.* 5. *de Rep. c.* 2. *fol.* 627. *lit. C. vers. & quoniam*, cùm habeat auctorem ipſum Deum. Verùm illa lex, haut ſimpliciter nos ligat: eſt namque civilis, id eſt, ſpecialis, certo ac circumſcripto ſubjecto accommodata. Franc. Junius, *tr. de politiâ Moſis obſervatione ſect.* 11. 19. 21. *&c.* Sicque intelligi debet, quod Felinus tradit, *in c. quæ in Eccleſiarum, de conſtit.* Poſſe principem leges Divinas, ex cauſsâ utilitatis publicæ aliter reſtringere, ac limitare. vid. Roch. Curt. *in C. cùm tanto ſect.* 1. *numer.* 19. *& ſect.* 2. *num.* 6. *&* 8. *extr. de conſuet.* Et tantùm Moſaicæ legis ratio nos obſtringit; quæ pro diverſitate ſubjecti, variè operatur. Et itaque diverſitatis oſtensâ ratione, ſolura hîc erit omnis difficultas. Ratio autem prohibitionis uſurarum eſt, ne per eam proximus lædatur, *arg. Levit.* 25. *v.* 14. *&* 17. vid. Donel. *h. c.* 2. *fol.* 6. *vers. Illud igitur.* Nunc cùm conſtet Reipublicæ noſtræ, utilem eſſe conceſſionem ejusdem; ſine dubio illa valebit. Contingere enim facilè poteſt, ut aliquid non lædat nos, quod Judæos forſan læſiſſet. Maxumè Judæorum naturâ, ita duræ cervicis exiſtente (quam Moſes optimè experientiaque novit) ut ſe gerere circa uſuras, non læsâ charitate, vix potuiſſet. Hæcque eſt ratio diverſitatis, maxumè legum civilium, hujus ab illius regionis jure. Et ſic polygamia, apud nos capitalis, Judæis conceſſa fuit. vid. Joh. Borcholt, *h. c.* 1. *n.* 20. Bodin. 5. *de Rep. c.* 1. *fol.* 506. *& c. ac Meth. hiſtor. c.* 5. *fol.* 133. Et porrò, fundamentum quoque Reipublicæ Hebræorum, à noſtræ Reipublicæ conſtitutione fundamentali diverſum planè erat. Hinc contra alienum (utpotè extra illam Rempublicam conſtitutum) uſura conceſſa fuit. Deuter. 23. *v.* 20. (vel invito Molinæo, *h. ſub n.* 9.) quem tamen contriſtari, ſeverè prohibet Deus. Exod. 22. *v.* 21. Nil prohibet enim, cives præ aliis prærogativâ ſingulari, & luculentâ gaudere. Et fuit nempè inprimis ſpeciale in Republicâ Iudæorum, quod omnia immobilia ob annum Iubilæum, ad veteres Dominos redibant; quodque exindè nullus apud Iudæos debuit eſſe mendicus. Ac hinc quoque probabile eſt; Lege Moſis, omnem damnari uſuram, non morſum, ſeu nimiam ſolùm; quia uſura aliàs immodica, injuſtè contra advenam concederetur. Probabilius eſt, quòd quidam Moſaicam uſuræ prohibitionem, ad pauperes reſtringunt: cùm Exod. *c.* 22. & Levit. *c.* 25. de paupere, ſeu indigente loquatur expreſsè. Nec forſan mutuatitiâ

pecuniâ, olim Iudæi, ut nunc nos, negotiabantur, fundosque, ac prædia emebant. Pauperioribus aut em gratis mutuò dare, præcipiebantur, ut & ab iisdem vendita prædia, ad eos redibant tandem. Sicque inibi licuisset pecuniâ fœnerari; & facere quæstum; prædia quæ adveniente Iubilæo dimittere cogebatur, nemo non sivisset esse inculta. Sed & hæc Theologis eruditis discutienda, ac candidis has meas conjecturas dijudicandas relinquo.

X. Ex quibus, latè satis deductis; apparere puto; impingere Zasium, *par. 4. de feud. num. 12. &c.* & ab eo allegatos, ac qui hosce sequuntur: Schrader. *par. 3. c. 3.* dum affirmant: usurę proventum, ut rem inhonestam, in feudum dari non posse: Ut & Ripensem *ad l. siventri § 2. n. 8. & seq. de privil. credit.* dum eum, qui gratis mutuatur, præferri putat, ubi de privilegio creditorum quæritur, illi qui sub usuris. vid. Moller. *1. semestr. c. 28.* Idque extende, licet usuræ illicitæ, seu immodicæ sient: hoc enim nil derogat privilegio summæ capitalis. Mynsing. *cons. 5.* Sicque exceptio usuraria, non admittitur contra executionem. Moller. *2. semestr. 19.* Quibus simile est erratum pragmaticorum, quod observavit Antonius Faber, *decad. 1. error. 2.* qui volunt, ex chriographo usuras constitui non posse.

XI. Sunt tamen adhuc & alii: Kirchov. *com. opin. verb. usura.* Coler. *par. 1. c. 10. n. 36. usq; 40.* Tilem. *Disp. 2. th. 3. vol. 2.* adde Roland. à Valle, *cons. 35. vol. 1.* qui usuram defendentes, eam per legitimum interesse, intelligendam adstruunt. Eaque est pura puta opinio Canonici Iuris, *gl. in c. conquestus, & c. salubriter, extr. h.* Lopez *in Instruct. conscient. par. 2. c. 61. &c.* Sichar. *ad rubr. n. ult. & ad l. 2. num. 3. C. h.* Quæ, ut suo modo vera est, ita politicè in totum adprobari nequit: *quod & immi suprà.* Videtur namque Reipublicæ expedire, ut pupilli, viduæ, &c. sub usuris mutuò dare pecuniam queant: quod tamen de Iure Canonum difficultate non caret: cùm id senibus vetet usuram. *v. c. super, ex h.* Et quoque difficilis est probatio interesse: *l. 34. ff. de Reg. Iur.* ac itaque præcidendarum ambiguitatum caussâ, decet ejus determinationem esse certam ac generalem. Et insuper, differt propriè usura, ab interesse. Hoc etenim jure venit; illa non nisi conventione, juris concessione adprobatâ. Sicque potiùs à legislatore, quàm à Iudice, usura ut interesse consideratur, *vid. l. socium 60. inst. ff. pro soc.* Speculat. *tit. de fructibus &c. §. 3.* Molinæ. *h. n. 499.* Cuiac. *in parat. C. de eo, quod interest,* Sichard. *ad rubr. C. h. n. 11.* Tilem. *d. Disp. th. 19.* Politicus quippè legislator, non curat: an usura uni parti prosit, alteri noceat: vel ex quâ parte conveniat ambabus? Sed potiùs inspicit, id quod fieri potest & debet. Ius Canonicum: utpotè conscientiarum securitati destinatum; non contentum est probabili

& ge-

& generali indefinitâ, ac incertâ ratione: sed singula perpendit specialia facta, ac ideo in terminis nostris usuram nõ probat, nisi ubi liquidum fiet interesse. Iusurgit hîc quæstio; An fœneratio sit negotiatio justa? seu, an usuræ, ut Molinæus vocat, Lugdunenses valeant? Id quod omninò negandum esse videtur. Molin. *h. n.* 58. *&c. ac n.* 504. Petr. Gregor. *h. 2. c. 2. & fac. cap. quia multi 3. ex h.* Cùm in privato non possit inveniri mercatorium interesse; nisi prohibitè, & mere usurarium. (Aliud est de nautico fœnore, quod quilibet potest exercere, *Novel. 107. de usur. naut. in prin. ibi, & hanc vitæ habere occasionem.* Ac item periculum marinum, cùm non respiciat personæ diversitatem, non variatur ut fœnus: nisi pro periculi qualitate) Indeque Imperator, *in d. l. eos, §. cæteros, C. h.* communem usuram omnibus respectivè tolerabilem, & profuturam statuit; taxatione sumptâ à communi sustentatione, quæ percipitur ex propriis fundis, &c. ac eorum curâ, Molin, *n.* 113. Quâ, cùm minùs ex consuetudine & necessitate occupatæ sint illustres personæ; sicque plebeio, quàm nobili ager plùs commodi adferat: levior illustribus quàm aliis communiter stipulanda est usura, *d. l. eos §. 1. vers. Ideoq; iubemus.* Hîc quæritur; An Judæi possint tolerari fœnerantes; existente Iuris Canonici opinione circa usuras? Singulari id statuto fieri posse putarem. *vid. c. quantò 18. ext. h.* Laurent. de Rodulfis, *tr. de usur. q. 146.* Covarruv. *3. var. 1. n. 8.* Marquard. de Susanis *tr. de Iudæ. par. 1. C. 11. n. 11.* Summerhart. *de contract. tr. 2. quæst. 28.* Molin. *h. n. 76. & 531. ac ad consuet. Paris. tit. 1. §. 1. gloß. 9. in verb. pendant. n. 19.* Royzius, decis. Lituan. *5. n. 220. & seq. usq;* 335. Anton. Thesaur. *decis. Pedem. 57. & seq.* Villagut *quæst. 11. & 13.* Petr. Greg. Tholos. *h. 3. c. 7.* Gail. *2. obser. 5. n. fin.* addatur Reichsabscheid/ *de Anno 77. tit.* von Juden/ vnd jhrem Wucher. similiter hîc dubium incidit: An, ut quidam volunt Canonistæ, (*vid. Villagut quæst. 19.*) semper tantùm damni emergentis ratio sit habenda; ad lucrum verò cessans, omnis existat præclusa via? Idque negarem cum Pet. Greg. Tholos. *h. lib 2. c. 2. &* Læl. Zeccho *h. cap. 9.* ubi de Mercatoribus argentariis, seu Trapezitis & Cambiis agit: quibus lucrum cessans, est damnum incursum: cùm illis vitæ ratio, in hoc negotio existat. Duo hinc, quasi προϐλήματα resultant. Prius justum mercatorem, qui ad rationem bessalis usuræ fœneravit, si vendat, vel alteri cedat nomen suum, non negotianti; haut posse cessionarium (post cedentis mortem) vel heredem nõ mercatorem, eas usuras exigere in futurum, *arg. l. fin. C. de fiscal. usur.* Molin. *h. num. 60. &c.* Usura enim idem æquitate, quod interesse; idque est jus successivum, non quæsitum: *vid. l. 75. § 9. ff. de verb. oblig.* Elegans hîc quæstio movetur; Quid si non contrahentium conditio mutetur, sed lege aliud statuatur? putà in specie *l. leges 7. C. de Legib. iunct. l. penult.*

in prin. C. *h.* Molin. *n.* 142. quatenus illa lex, præteritis negotiis det formam? Et omninò dicendum est; tantùm moderari talem, vel huic similem legem, reditus jam constitutos, quoad damnum in futurum: non verò solutas usuras facere imputari in sortem; Molin. *quæst.* 11. *nu.* 157. Coler. *par.* 1. *c.* 10. *n.* 86. *&c.* nec ad sortem solvendam, debitorem cogi posse. Alterum πόρισμα est: non è contrà; si creditor stipulatus semisses, incipiat mercari, vel mercatori nomen cedat: tunc incipere currere besses. Molin. *n.* 61. *vers. quid ergò.* Nisi sortem non solvere debitor malit.

XII. Hæcque hactenus proposita usura, quomodo cum nostris usitatis reditibus, mit den Gültkäuffen / conveniat, non inutiliter quæri videtur? Et ii quidem, reipsâ non conveniunt cum illis; ex communi traditione. Annæ Robert. 2. *rer. iudicat. c.* 8. Hîc verò, primò omnium aliquot dubia extricanda esse puto. Et nempè an in eo differat à reditu, usura; quod Iure Iustinianeo, *dicta lex eos* §. *super* C. *h.* (agens de variatione usurarum secundum personarum dignitatem) non observetur in præstationis annuæ æstimatione? Adfirmat hoc Molinæus, *n.* 110. *&c. arg. l.* 3. §. *fin. ff. ad leg. Falcid.* Negat Budæus. *arg. l. si quis*, §. 3. C. *de donat. ubi Gothofr. vid.* Ego igitur, licet Molinæi textus & rationes nil facere hîc; sed potiùs singularitatem diversorum casuum evinci posse reputem: arbitror tamen, ejus decisionem veritati consonam esse. Est namque in annuo reditu, mercator ut privatus. Tùm quia ferè magis creditori prodest; majori pretio per extravagantem Martini Pontificis Maximi *de emptione & venditione* comparatur, quàm *ex. d. l. ees*, usuræ cursus simplicis, add. Fachinæ. 2. *controv. cap.* 43. Sed, an & in eo ab usurâ, annuus reditus discedit, quòd emptor teneatur de fortuito casu, fundi specialiter hypothecati, vel sub generali obligatione omnium bonorum? superstitiosum aliquandò visum mihi fuit sic sentire: vid. Molinæ. *nu.* 134. *quæst.* 8. quamvis dissentiat Læl. Zecchus *tr. de usur. c.* 10. *n.* 30. *in prin.* cùm semper maneat obligatio personalis. Et notat Fachinæ. *lib.* 2. *c.* 44. consuetudine apud Germanos receptum esse; ut census etiam super personali obligatione constitui possit. Cumque reditus id est, pecunia cujusque anni sit res empta (non jus) conditionalis hoc in casu emptio est; de quâ *in l. necessariò* 8. *in prin. vers. quod si sub, ff. de peric. & commod. rei vendit.* quæ quotannis reiteratur & existit. Reditus ergò tantùm annui, ut conditione existente, periculum est emptoris. Nonnulli contractum innominatum hîc introducunt: ut notatur *in l. bonæ fidei*, C. *de pact.* Unde quærunt; An in specie *l. frumenti* C. *h.* magis ac in aliis contractibus; *l. sicut* 5. C. *de oblig. & act.* locus sit pœnitentiæ, vel dispositioni legis *si pecuniam in prin. ff. de condict. caus. dat. & c. l. naturalis* 5. §. 1. *ff. de præscript. verbis*

verbis? Id quod nego. vid. Iason. *ad l. qui Romæ n. 31. ff. de verb. oblig.* Glossa verò *ad c. 1. caus. 14. quæst. 3.* novum, & specie differentem contractum, à mutuo, usûram, seu emptionem reditûum facit: analogum Mutuo, ut commodatum locato est. Ut autem in jure ab usurâ, annuus reditus differt; ita quoad æquitatem, ab eadem illum non discrepare arbitrantur perquàm multi. *Novell. 160.* Facultas Iuridica Tubingensis *supr. dict. cons. per tot.* Petr. Frider. *2. c. 72. n. 5. & c.* licet dissentiant Conrad. Pauli, *tr. de usur. lib. 2. c. 5.* Lopez *in Instruct. conscient. par. 2. quæst. 77.* Thesaur. *decis. 154.* Hotom. *de usur. fol. m. 63. & 2. observ. c. 15.* Gail. *2. observ. 7. n. 8.* Covarruv. *3. variar. c. 9. n. 4.* Molin. *n. 17. 20. & 144. ut & quæst. 70. ac 75.* Duaren. *h. c. 1. in fin.* Balduin. *ad §. adeò n. 4. Inst. de locat. & conduct.* Lælius Zecchus, *de usur. c. 10.* vid. etiam Bodinum *5. de Rep. c. 2. fol. 530.* Unde Henric. de Gandavo, *quodlibet. 18. quæst. 22.* Gregor. de Arim. & Salicet. *ad authent. ad hæc, in fin. C. h.* hanc reditûum emptionem, nominetenus tantùm ab usurâ differre; & ideò tantùm inventam putant, ut rei exosæ aliud nomen constituatur. Maximè cùm usu hujus emptionis concesso, non minùs ac si usura permitteretur; mutuum gratuitum haut frequentetur. Et sic Innocentius, Bonaventura, aliique, à Molinæo *n. 22.* dissentiente allegati; prohibitâ usurâ, emptionem quoque reditûum asserunt prohibendam esse. Sicque porrò ex deductis adparet: minorem, ejusvé tutorem: ut usûras, *l. 2. C. 51. adverss. creditor. l. 3. §. 1. v. consequitur, ff. de contrar. & util. act. tutel. l. si pupillorum 7. §. fin. ff. de reb. eor. qui sub tutel. & c.* ita & emptionem reditûum celebrare, vel cum eâ agere posse. Molin. *quæst. 37.* Modò contra minoré agens, pecuniâ in ejus usum versâ esse probet, *l. 1. C. si advers. creditor.* Molin. *n. 279. & c.* post Pinel. Hartman. Pistor. *lib. 1. quæst. 38.* Frider. Mindan. *lib. 2. c. 62. n. 6.* Fachin. *2. c. 45.* add. Menoch. *3. præsumpt. 83.* Quod sanè nõ odio usuræ: ut glossa, *ad d. l. 1.* vult, receptum est; sed quia, ut actor intentionem probare debet. Verùm circa decisionem proximæ quæstionis, de tutoris potestate circa reditus, à plerisque ventilatur & illud; An illi reditus pro re mobili sint habendi? Idque de vulgaribus, frequentiùs ferè adfirmatur. Molin. *n. 272. in fin.* Beust. *de matrim. par. 2. num. 68.* Tiraquel. *de retract. §. 1. gloß. 6. n. 7. & c.* Diss. Gail. *2. obser. 10.* Adde Thominus. *quæst. 17.* Annæ Robert. *rer. iudic. 2. c. 8. fol. m. 437.* Mynsing. *1. obs. 69.* Gõden *cons. 35. n. 11. cons. 38. n. 6. & cons. 79. n. 12.* Menõch. *recup. poß. remed. 1. quæst. 2. n. 45.* Zasius *de feud. par. 4. n. 9.* Peckh. *de testam. coniug. lib. 5. c. 30. num. 6.* Sichard. *ad l. hac edictali §. hu illud n. 5. C. de secund. nupt.* Venutus *tr. de annua præstat. quæst. 39.* Sunt namque jus, personæ, non simpliciter fundo adhærens, wie ein Bodenzins. Et loquitur *Clement. exivi de verb. sign.* de alio contractu reditûum emptionis; nimirùm de quo etiam C. 1.

& 2. in extravagant. de empt. agunt: qui nempè ita fundiarii sunt, ut periculum cum fundis commune sortiantur: & quos (redimibiles tantùm ex parte venditoris, si verum fateri velimus, probat solùm Canonicum Ius; quoſque etiam, aliam ab usurâ rationem habere nunc demùm mihi videor videre. Nihilominùs tamen reditus personales, gemeine Gültkäuffe, sub hypothecâ omnium, & sic incertorum bonorum, &c. & ad certum tempus constitutos (qui æquitate non discrepant ab usuris, in mutuo simplici stipulatis) contra novissimas Imperatorum Germanorum Constitutiones (quas quidem non id velle, docere satagit Coler. *de proceſſ. execut. par.* 1. *c.* 10.) consuetudine adprobatos esse dicunt: de eaque attestatur Henrichmannus, *consil. 6. tom.* 1. Consuetudine verò hoc fieri posse, probabile est, *arg. c. objiciuntur* 32. *quæst.* 4. Oldrad. *consil.* 207. *incip. universis, circ. fin.* Iason. *ad l. cunctos, n.* 39. *C. de sum. Trinit.* Decian. *resp.* 2. *vol.* 1. *per tot. præcipuè n.* 80. Facultas Juridica Tubingensis *d. consil. fol. m.* 149. *&* 155. Diss. Petr. Greg. Tholos. *b.* 2. *cap.* 8. Cùm laudabiles consuetudines dicantur; quoties statuentes, vel observantes reputant eas bonas, suisque moribus convenientes esse. Gail. 1. *obs.* 36. *num.* 15. Quin & hoc idem Cameræ Imperialis autoritate roborat jam sæpè laudatum consilium Tubingense, *ad fin. fol. m.* 167. Sed verò circa reditus hujusmodi varietatem, variumque constituendi modum (de quantitate hic non loquor) generaliter sciendum est: multa, politica, & particulari civili, non Canonicâ ratione; in statutis variarum gencium contineri, putà, ut ne sine hypothecâ emptio redituum, vel usuræ stipulatio fiat, *c.* 1. *&* 2. *extravag. de empt.* Molin. *b. n.* 22. ut Principis, vel alterius Magistratus concessio antecedat Fürstlich Württemberg. isch Landsordnung/*Tit.* von auffnemmen der Gülten. ut non, nisi in debitoris potestate liberatio fiet. Reformation guter Policey zu Augspurg/ *de Anno* 30. *Tit.* von wucherlichen Contracten. §. *fin. in princ.* A quo tamen recessit die Württembergisch newe Landsordnung, quæ sancit, ut venditor, qui scilicet debitoris loco est, post quatuor annos, sortem solvere cogatur. Inde tamen haut ex his, & similibus, legitimis solitis, & præscriptis pactionibus usuræ natura dijudicanda, hisque non existentibus, (cùm quæstio est, non de jure constituto, sed constituendo) generaliter damnanda erit. Ac porrò item, talia statuta, clausulæ, & pacta omnia tolerantur; quæ non gravant, nec onerant ultra taxationem legitimam usurarum debitorem: sed tantùm securitatis ergò interponuntur. Frider. *lib.* 2. *c.* 71. *n.* 1. ut quando plures accipiunt eandem sortem, ut omnes in solidum sint obligati: Sambtlich vnd ohnzerscheiden/einer für alle/vnd alle für einen/*l. in duobus* 3. §. *fin. ff. de duob. reis, l. si non singuli* 5. *C.* 51. *cert. pet.* Sed hîc quæritur incidenter: Quid si mulier, unà se constituat debitricem?

bitricem? Et certum est, tunc non ita individuam esse obligationem, quin ea à parte mulieris restrictionem patiatur? *vid. l. vir uxori, 17 §. mulier, ff. l. si fœneris, C. ad Sctm. Vellean.* Molinæ. *q. æst. 83.* Idemque est, si cum viro suo promittat, *Auth. si qua mulier, C. d. t.* Ast id fallit; si mulier communitatem habeat bonorum cum viro, Molin. *n. 292.* Gothofr. *ad d. Auth.* Id est, si cum marito artificium, aut mercaturam habuerit communem; aut etiam cum eodem prodegerit bona. Et namque generaliter in utilitatem mulieris dicitur verti, si ejus culpâ non fuerit versum, vid. Molin. *b. n. 291.* Censent insuper nonnulli legitimum pactum; ut ad carceres se sistat debitor, sorte non solutâ. Molin. *ad consuet. Paris. tit. 1. §. 162. gloss. 2.* Coler. *par. 1. c. 6. per tot. ac notatur in l. ob æs, C. de oblig. & act.* Diss. Conrad. Pauli, *de usur. 1. c. ult.* Sed; an eadem carceris, vel etiam obstagii, pactio extendatur quoque ad usuræ negligentiorem præstationem; quæri potest? Quod adfirmant. vid. Molin. *b. quæst. 36.* Succedit dubitatio alia: An liceat creditori, ex pacto, propriâ autoritate ingredi possessionem, apprehendere rem, & accipere in solutum, pro debiti quantitate? Nemo fermè negat. Frider. *lib. 2. c. 71. n. 2. arg. l. penul. C. de pignorat. act.* Nec ego abnuerim, nisi in fraudem usurariarum legum conceptio hæc incurrat, *fac. l. pœnam 44. ff. h.* Quæ fraus maximè præsumitur in eo, qui solitus est fœnerari. Accurs. *ad l. pœnam, & ad l. Iulianus, §. ibidem, ff. de act. empt.*

XIII. Sed de usuris usurarum, jam est agendum: de quibus Alciatus *in l. usura n. 3. ff. de verb. sign.* Covarruv. 3 *variar. c. 5.* Lupus *in l. curabit §. 3. n. 20. ff. de act. empt.* Molin. *b. n. 44.* Wesenbec. *cons. 72.* Hìc quæritur non inconvenienter, quid ergò operetur clausulæ promittens, debitorem sine damno & interesse censum habiturum? Ea in usurâ interpretanda est de expensis factis, non de lucro cessante. vid. Molin. *b. n. 224.* Ea in reditib. quid valeat adparebit infrà ex resolutione quæstionis: An ex morâ veniat usura census? In dubium itidem vocatur, circa usurarum usuras; An valeat usura constituta per colonum domino suo, pro reliquis conductionis? Ita puto cum Molinæo *quæst. 24. & fac. l. quæro 54. in prin. ff. locat.* (hîc tamen requiritur coloni voluntas, non conventio coacta: ut si verbi gratiâ Dominus propter sterilitatem, non expectare velit annum frugaliorem) Modò colonus non duobus accessoriis gravetur; æstimatione scilicet quanti plurimi, & usurâ, *l. pecunia 9. §. 1. iunct. l. pœnam 44. ff. h.* Nec quoque est usura usuræ, si minori usuræ, non hac die solutæ, major succedat; legitima tamen: contrà ac glossa ac Doctores quidam volunt. vid. Molin. *quæst. 25.* Cùm verò usura, successivum quid sit, id est, tale, quod quolibet anno absolvatur; adparet, pœnam, quæ incurritur aliquâ solutione, ad priores solutas usuras trahi non posse, *l.*

cùm

cùm quidam 17. in prin. ubi Bald. in lect. antiq. ff. h. Molin. *quæst. 26.* Occasione hujus convenienter quæritur: quid valeat clausula, si cui promittantur dotis nomine centum, post tres annos, ac si eo tempore non solvantur, quòd curret usura ex nunc prout ex tunc? Et videtur, quòd ea dotis promissa usura, ex dispositione *d. l. cùm quidam*, non habeat locum. Dissentit Molinæus, *num.* 240. cui pœnalis stipulatio esse videtur. Sed non incurritur pœna sine mora: & ex futuro tempore moræ, non licet ex præterito pœnam stipulari, *vid. l.* 90. *l.* 125. *§. 2. ff. de verb. oblig. l. lecta, ff. de reb. cred.* Necessariò hîc proponitur quæstio, cujus suprà mentio facta fuit: An in emptione redituum, in censu tardiùs soluto veniant usuræ? Quod sanè fieri posse videtur, propter moram; officio Judicis mediante. *vid. l.* 54. *in prin. ff. locat.* Ac facit, quòd reditus annuus, non accessio est, sed sors; nimirùm res empta: Gail. 2. *obs.* 7. *n.* 6. unde ejus, ut sortis, vel rei emptæ, usura propter moram esse potest. (Sicque non illicitum est, das man etwan lang angestandne Zinß zu dem Hauptgut schlegt / vnd ein newe verschreibung machen laßt.) Dissentit Molinæus, *quæst.* 69. eò quòd emptio redituum, sit fœnus, largè sumptum, & vera species fœneratoriæ negociationis, *arg. l.* 3. *in fin. ibi certum aliquid, velut* (omne tamen simile claudicat) *usuram, ff. de annuis legat.* Sed anne usuræ usurarum; cùm non usuræ, sed sortis videri possint habere rationem; vid. Hotom. *h. fol. m.* 30. meritò quem infament, dubitari potest? Ego, etiamsi insimul legitimus modus usurarum capitalium non excedatur, putarem, *l. improbum* 20. C. *ex quibus caus. infam. iunct. l. fin.* C. *h.* Molin. *n.* 45. Gothof. *ad d. l. improbum.* Ast, anne usurarius infamis ipso jure, ante condemnationem? Ita vult *gloß. fin. ad d. l. improbum, per cap. infames, §. porrò, vers. aliquando* 3. *quæst.* 7. Pet. Greg. *h.* 3. *c.* 3. *n. fin.* Puniuntur item excommunicationis pœnâ, cooperantes in fœnore exercendo, & auxilium præbentes usurarum extorsioni, Menoch. *cons.* 300. *n.* 54. *&c.* Sed sunt tamen, qui nolunt, usurarios criminaliter puniri: nec nisi ad restitutionem & satisfactionem adigi posse. Roland. à Valle, *cons.* 75. *n.* 13. *&c. vol.* 1. Bursat. *cons.* 321. *n.* 49. adde Decian. *prax. crim.* 4. *c.* 27. *n.* 4. Cravetta *cons.* 6. *nu.* 104. *& seq.* Quod intelligo, si non malitia adsit, & habitus fœnerandi. Cæterùm politicè tantùm, non Canonicè, prohibitum esse puto cursum usurarum suprà duplum, *vid. l. si non* 25. *§.* 1. *ff. de condict. indeb. l. usuræ* 10. C. *h. Novell.* 121. *&* 138. Duaren. *h. c.* 3. *§. præter ea, & seq.* Donell. *c. ult. in fin.* Molin. *nu.* 47. Hotom. *h. fol. m.* 57. Et quod in dictis Novellis dispositum est de usuris, non locum in reditibus habet: *Novell.* 160. ut nec in antichresi, Borcholt, *h. c. ult. nu.* 22. Sic & usuræ pupillares, contra tutorem, qui etiam sine fraude pecuniam in suos usus convertit, currunt ultrà duplum: Molin. *h. quæst.* 77. quia

ipse

ipse restituere debuisset, *vid. l qui sine 38. ff. de negot. gest.* Sed anne usuræ usurarum exiguntur ab eodem? Negat rectè Molinæus, *n.* 601. cùm centesimam, id est, summam usuram solvat. Molin. *n.* 55. porrò dicta Novella 121. locum quoque habet in venditore, re traditâ: omnemque controversiam perimit, *l. unic. C. de sent. quæ pro eo, quod interest, &c.* Diss. Molinæus, *quæst.* 38. Aequum tamen esse videtur, quod quidam volunt; pacto fieri posse, ut ultrà duplum teneatur venditor pro interesse, Petr. Gregor. *b. lib. 2. c. 4.*

XIV. Usuræ usurarum simile est, quicquid ultrà taxationem legitimam commodi, creditor debitoris damno habet. Indeque damnari debet ad sortis imputationem, munuscula sæpè satis conspicua; quibus mi deliniantur, quidam mutuare nolunt. Ut & omnis piratica terrestris execranda videtur, *d. l. eos qui, §. super, vers. interdicta, C. h.* vid. Molinæum, *n.* 129. *quæst.* 6. *& n.* 137. *quæst.* 9. Sicque Alexander Severus Imperator usuras fœneratorum, ad trientes pensiones contraxit, etjam pauperibus consulens: Senatores item, si fœnerarentur, usuras accipere primò vetuit, nisi aliquid muneris caussâ acciperent. postea tamen jussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Lampridius, *in eiusdem vitâ.* Hinc & argentum fabrefactum cui mutuans; ut in specie *l. si pro mutuo 8 si cert. pet.* non potest artificium æstimare. Molinæus *quæst.* 23. Indeque Jasonem, à multis reprobatum, dum *ad l. ex hoc iure n. 65. ff. de iust. & iur.* censet; si antidora (jure civili ultra legitimam usuram) deducantur in pactum, contrahi usuram. (Similes alios casus vide apud Conradum Pauli, *de usur. lib. 1. c. 10. &c. usq; ad fin. lib. 1.*) Nec obstat; quòd alius sit contractus; Molin. *n.* 26. vid. Jason. *ad l. petens ex stipulatione, n.* 17. *C. de pact.* Sicque cessare videatur subjectum usuræ. Inde enim non sequitur, hocce negotium licitum esse: quo respectu Menochius, *cons.* 109. *n.* 28. *&* 34. dicit; etiam in aliis contractibus implicitum mutuum esse, & ob id inibi committi posse usuram. Ita quoque fidejussio gratuita esse debet; vid. Villagut *quæst.* 23. non obstante, quòd possit esse contractus, do ut facias, Molinæ. *quæst.* 31. Sed hoc, quod de prohibitis munusculis dixi, limitari potest in mutuo gratuito. vid. Anchar. *in repet. C. peccatum, Col. 23. & in repet. c. peccati veniæ, quæst. 1. Col. 6. de Reg. Iur. in 6.* Molinæ. *h. n.* 12. Circa hujus modi, & illud quæri potest: An licitè creditor pecuniam accipiat à debitore, pro remissione partis pignoris? Deinde, An fidejussor possit se liberare pretio, quod non imputetur solutioni? Et sanè utrumque, ratione periculi pretii, si aliàs fraus absit, putarem, *l. periculi pretium 25. ff. de nautic. fœnor.* Molinæ. *quæst.* 33. *& seq.*

XV. Authenticam *ad hæc C. de usur.* sumptam ex *Novel. 32. & seq.*

ſine correctione lego. Unde ſequitur ; non prohibitum eſſe contractum, quo verbi gratiâ hoc anno modius frumenti, alicui agricolæ mutuò datur ; ut anno ſequenti, modium cum octavâ parte, uſuræ nomine reddat. Bodin. *lib. 5. de Rep. c. 2. fol. m. 529.* vid. Cujac. *ad d. Novel.* ac rationem habet Borcholt *h. c. 3. n. 40. & ſeq. & intr. de reb. cred. c. 7. nu. 96.* Petr. Greg. *h. c. 5. nu. 10. & c. ut & c. 16. lib. 2. fac. l. ſi eâ lege, 17. l. oleo, 23. C. h. l. pretia 63. §. fin. ff. ad L. Falcid.* Diſs. Duaren. *h. cap. 3.* & Molinæ. *n. 63. quæſt. 1. & quæſt. 21. n. 215.* ubi quærit de emptione redituum, in frumento, (nos vulgò Landgarben adpellamus) eosque pro temporis ratione, uſurarum legitimum modum ſuperare poſſe putarem, *arg. d. l. ſi eâ lege, & d. l. oleo,* ubi diſs. Gothofr. C. *h. auth. perpetuam, ibi res ſubtiliter, & c. C. de SS. Eccleſ.* Molin *n. 114.* Ex quo fundamento, & contra Molinæum, *n. 260.* autumo ; debitorem in perpetuâ antichreſi, jus quidem habere retrahendi, non verò cogere poſſe poſſeſſorem, ut rationem reddat, *l. ſi eâ conventione 14. in fin. C. h.* Ac *l. 1. §. 3. ff. de pignor. & hypoth.* quæ objicitur, non loquitur de antichreſi. His item pactionibus ſimilis eſt reditus ad vitam ; Ein Leibgeding oder Pfründtkauff/ Molin. *quæſt. 72.* Quo in caſu certum eſt, non eſſe locum *l. 2. C. de reſcind. vendit.* ſi emptor citò moriatur. Quin tamen in mero, non caſuali exceſſu, ſecundum illam eandem legem, utrisq; parentibus ſuccurrendum ſiet, extra dubium mihi eſt. Ac de ætate, hic æſtimandâ, vide *l. 68 ff. ad L. Falcid.* quam Molinæus *n. 475.* malè de alio negotio intelligere videtur.

XVI. Uſurarum modus, in aliud ſit actum ; *l. contraxiſſe. ff. de oblig. & act.* conſtitui debet ex more regionis, ubi contractum, non ubi petitur, *l. 1. in prin. ff. h.* ubi quidem Baldus, Gothofredus, & alii diſſentiunt. Aliud eſt de ſortis æſtimatione, *l. vinum, in fin. ff. de rebus cred. l. ult. in fin. ff. de condict. triticar.* Ratio diverſitatis eſt, quòd in mutuo res eadem ſimpliciter & in ſpecie ſit reddenda ; in uſuræ verò ſtipulatione, partes ad intereſſe reſpexiſſe putantur, de quo veroſimiliter cogitârunt : nimirùm loci præſentis. Ac forſan poteſt prodeſſe hæc conſideratio ad id ; ſi de pœnâ uſurarii contractus quæſtio ſiet, qui in domicilio contrahentis pœnâ dignus, in loco contractus licitus cenſetur.

XVII. In ſæpè *d. l. eos §. 1. C. h.* verſiculum, *& eam quantitatem,* ad omnia præcedentia refero ; ac puto, moram illuſtri factam, non ita gravi pecuniæ ſummâ puniri, ac ea quæ facta fuit mercatori ut tali. Moræ namque taxatio, venit ex intereſſe. Nunc autem non tanti intereſt illuſtri pecuniam non habuiſſe : quia ſecundum *d. l. eos,* diſpoſitionem ; non poteſt, ita ut negotiatur, ſub magnæ uſuræ ſtipulatione pecunias locare Diſs. Molin. *n. 54. vid. l. ult. ff. de perc. & commod. rei vend. l. 2. in fin.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [52] - 50

in fin. ff. de eo, quod cert. loc. adde Molinæ. *quæst. 79.* Hîcque potest quæri; si depositarius pecuniâ utens, plùs lucretur, quàm communes usuras; an id faciat deponenti? Ita puto cum multis, contra Molinæum *n. 628.*

XVIII. Antichresi, ut & usurâ, liberatur quis oblatione ac depositione. Et quidem quod attinet Antichresin; *fac. l. 11. ibi, lure, id est, solemniter, ubi vid. Hotom. iunct. 19. C. h.* vel si *in d. l. 11.* legatur, Pro jure, in jure; specialis est casus. Eam autem ob causam necessaria hîc depositio est; ne debitor ex re merè alienâ, sine suo onere lucretur: sed hæc ratio militat utrobique. Diss. Borcholt *h. c. uit. & penult.* Gothofr. *ad d. l. 11. C. h.* Usuram autem hîc intelligo, eam quæ ex stipulatione, Cuiac. *ad l. qui Romæ 122. §. Seia, ff. de verb. oblig. ac vid. ibid.* Jasonem dissentientem, ut & Molinæum *quæst. 39. 41. & seq.* Bronchorst *cent. 2. assert. 1.* qui id indistinctè ad firmant. Sed contra *l. acceptam, ibi ut cursus legitimarum usurarum. C. h. l. tutor 28. ff. de administr. & peric. tutor.* Aliud de pœnâ pronunciandum esse videtur, *l. penult. ff. de naut. fœn. l. 23. ff. de oblig. & act.* Hotom. *ad l. 6. in fin. C. h.* Hinc ut moram pupillaris ætas excusat; ita etiamsi pupilli pater pecuniam parârit, ut redimat census, vel mutuum usurarium solvat; tamen usuræ currunt. Ut nec debitor ab usura excusatur, quod adfuerit minor, cui solvere non potuerit, *l. 17. §. 3. D. h.* Molin. *quæst. 40. vid. l. 3. C. in quibus caus. in integr. restit.* Nec tamen statim ad consignationem debitor properare debet; putà si heredi solvere velit, is verò spacium petat ad videndum de quantitate &c. vel in casu redemptionis aut retractus; an habeat locum, *arg. l. sciendum 25. & seq. D. h. l. si quis 13. in prin. ubi Bartol. D. depos.* Dissentit Molinæus, *quæst. 42.* (qui quoque *n. 318.* perperam statuit circa venditionem redimibilis fundi, sufficere oblationem, *l. 9. C. de solut. l. 3. D. eod.* Tiraquel, *de retract. lignag. §. 7. gloss. 3. nu. 1. & §. 9. gloss. 30. n. 3. ac de retract. convent. §. 1. gl. 6. num. 1. &c.*) Sique ad Judicium provocant, facta depositione, debitor liberatur usuris, si vincat: contra Cagnolum, Molinæus, *n. 319.* etiamsi creditor justam habeat causam litigandi, & sic in expensas non condemnetur, vide Rotæ *decis. 182.* Ac item per precii oblationem, consignationem, quam facit venditor sub pacto de retrovendendo.

XIX. Usura in stricti juris negotiis, lite quoque contestatâ, non debetur. Quia solâ stipulatione, obligatio earum redditur firma, *l. 2 D. h.* contra Jasonem, *ad l. cùm fundus*, Romulium, *tr. de morâ, effect. 2. nu. 131.* Corasium, 2. *miscell. c. 7.* Costalium, *ad l. 38. D. h.* Forcatulum de mora, *par. 2. n. 14.* & communiter Doctores (quorum tamen sententia ex hodierno fori consuetudine probabilis & vera est) cum Duareno *h. c. 2. in fin.* Donello *h. c. 3. in fin. & 11. de fruct. c. 1. in fin.* Borcholt *h. c. n. 36.*

Tileman. *d. Diſp. 2. th. 8.* Goeddæo *Diſp. de uſur. th. 10. lit. C.* Anton. Faber, contra pragmaticos, *dec. 11. error. 1.* Cujac. 17. *obſer. 22. & tr. 7. ad Africani explicat. l. 37. D. de uſufr. & conſult.* Per litis conteſtationem quidem quaſi contrahitur; ſed tantùm ratione principalis ſortis, non uſurarum: utpotè quæ non debentur, nec ideò in conteſtationem & judicium deductæ videri poſſunt. Pariter etiam, uſuræ non uſucapione acquiruntur, *l. creditor. 7. C. h. l. ſi certis 28. C. de pact. l. obligationum 44. §. 1. D. oblig. & act.* Molinæ. *quæſt. 17. num. 191. quæſt. 20. per tot.* Donellus *h. c. 3. fol. m. 12.* Duaren. *h. C. 2. §. alter caſus, in fin.* Jacob Venutus, *tr. de annuis præſtat. quæſt. 23.* Borcholt *h. c. 3. n. 56.* Pacius *cent. 5. εαντιφ. quæſt. 42.* Idque exigit natura rerum ſucceſſivarum, *vid. l. 1. §. 3. D. de uſufr. ad creſc.* Quamvis longi temporis lapſu, & frequenti conſequentiâ uſurarum, præſumptio firma introducatur: cui ſanè ſtandum erit, quamdiu de contrariâ veritate non conſtat, *l. litibus 10. in prin. C. de agricol. & cenſit. lib. 11.* ubi Cuiac. *l. plures 19. C. de fid. inſtrum.* Borcholt. *d. c. 3. num. 56. &c.* Venutus *quæſt. 24. & ſeq. & par. 2. q. 8. ac 14.* Maſcard. *de probat. concl. 279. & ſeq. ac item concl. 1119. fac. c. querelam, 24. extr. de elect.* adeò, ut jugis per tres annos præſtatio, ſufficere cenſeatur ad id; quòd quis in præteritum ſemper ſolviſſe cenſeatur, Menoch. 3. *præſumpt. 5. 139.* Et hoc de licitâ intelligi uſurâ debet. Pro illicitâ namque, ne præſumptio quidem aliqua facit; Molin. *n. 192.* An autem obligatus ex aliquo contractu, ſolvere ali cui annuatim denarios certos, groſſos, vel in tali monetâ, quæ eſt majoris valoris; ſi per 30. integros annos, ſolvit de aliâ monetâ, valoris & ponderis minoris, intelligatur præſcripſiſſe jus ampliùs non ſolvendi de monetâ meliori; vid. Schurpff. *conſ. 10. cent. 1.* ubi affirmativè concludit, add. Thominus. *deciſ. 32.*

XX. Ut è contrario, uſuræ non præſcribitur: niſi ratione ſortis; *l. eos 26. in pr. C. h. l. 30. C. de præſcript. triginț. annor.* vid. Duar. *h. c. 1.* Hincq; errare videntur, qui volunt, *per l. cùm quidam 17. §. 1. D. h.* uſuras tantùm ex longo tempore non petitas, peti haut poſſe, (quod quidem verum eſt, Molin. *n. 197.*) benè ſortem: contra *arg. l. ſi non ſortem 26. §. ſi quis falsò, C. de condict. indeb.* An autem uſuræ dotis, longo tempore petitæ, videantur remiſſæ? vid. Fachinæ. *lib. 3. c. 103.* Et porrò quoque, haut præſcribitur pacto redimendi, ut notatur *in l. 1. D. de nund. l. cùm notiſſimi 7. §. 6. C. de præſcript. 30. annor. l. cùm nemo 5. C. de adquir. vel retin. poſſ.* Bart. *ad l. beneficium, D. de conſtit. princip.* Roland. à Valle *conſ. 25. vol. 2.* Molinæ. *num. 149. & quæſt. 19.* Schurpff. *conſ. 70. cent. 1.* Conrad. Pauli *h. lib. 2. c. 6.* Mynſing. *1. obſer. 69.* Gail. *2. obſ. 18.* Borcholt. *h. c. 6. nu. 18.* Cacheran. *deciſ. 115.* Weſenbec. *conſ. 2.* Fachin. *2. c. 13.* Decian. *vol. 2. reſp. 13. 21. & 87.* vid. Petr. Frider. *lib. 2. c. 72. num. 6. vers. adde eorum, & c. 37. num. 5. lib. eod.*

XXI.

XXI. Desinentis usuræ post rem judicatam beneficium Judex adimere non debet, *l.* 2. §. 5. ubi Gothofr. *& l.* 4. *D. de rejudic.* vid. Donel. *h. c.* 5. *fol. m.* 28. Duaren. C. 11. *à prin.* Sic & de consuetudine dantur decem dies debitori ad solvendum, in parvo debito. vide Jasonem *ad l. si domus*, §. *in pecunia*, *D. de legat.* 1. ubi eleganter opponit: cur condemnato longius detur tempus, quàm ingenuè confesso; sicque ansa litibus præparetur? Id fieri puto; quòd videatur omnis condemnatus ex improviso condemnari. Non enim propter calumniæ juramentum dolo quis ad judicium præsumitur provocare. Et generaliter porrò, sententia usuram illicitam confirmans haut valet, Molinæ. *quæst.* 16. post Alberic. *in rubric. C. h. col. fin. in fin. fac. c. fin. ext. de consuet.* Tiraquel. *in tr. retract. convent.* §. 1. *gl.* 2. *n.* 34. add. Menoch. *cons.* 100. *n.* 83. *&c.* ubi *n.* 96. disquirit; an ipsa sententia usuraria dici possit: ita ut Judex incidat in aliquam pœnam.

XXII. Solvuntur & usuræ compensatione; *l. cùm aliter* 11. *cum l. seq. D. compensat. l. si constat.* 4. *& l. seq. C. eod. tit. l. eius* 7. *C. de solut.* Molinæ. *nu.* 322. Idque idem, etiam in reditibus annuis locum habet. (Dissentiente Molinæ. *quæst.* 43.) ni pacta circa redemptionem aliud inducant; verbi gratiâ: Tu mihi debes reditus annui nomine, quotannis quinque; ego tibi centum simpliciter. Hìc compensatio, te invito, locum habere non potest; cùm natura reluitionis aliud suadeat; & tu ad redimendum, zu der Ablosung/ nequeas compelli. Ego verò recusare nequeo compensationem; cùm in meo arbitrio sit, præstitâ sorte capitali, à census annui onere me liberare. Insuper circa solutionem obligationis usurarum, quæritur & illud; An quis pecuniâ creditoris, redimere reditum annuum possit, vel obligationem mutui sub usuris; ut usura realiter currere desinat, ac per vindicationem non computetur? Et cum distinguentibus, inter bonam & malam fidem, sentirem. Molin. *q.* 44. contra quem tamen, *n.* 327. consumptione reconciliari puto redemptionem; etiam in malæ fidei possessore *l. nam & si fur.* 13. *D. si cert. pet.* Quia in suum usum consumpsit. Et eò quòd pecunia fuerit ipsius, alias habet actiones, quibus consequi potest omne id, quod ei abest.

XXIII. Habet nonnihil controversiæ & illa quæstio; an tertius redimere possit? Et puto, non eum posse hunc in finem, ut ipse non pro debitore solvat, sicque creditorem iniquè suo jure privet, Molinæ *quæst.* 45. *vid. l. nulla C. de solut. l. Paulus* 12. §. *fin. D. quibus mod. pig. solv.* Limitatur autem hoc in eo, cui interest: Molin. *quæst.* 46. *fac. l. in creditore* 38. *D. de evict.* Idque, ut indemnitati suæ melìus consuleretur, *l. fideiussor* 32. *D. de negot. gest.* Hic verè chirographarius creditor, pro mero extraneo habetur; Molin. *quæst.* 47. excepto uno casu; ubi reditu

soluto, proximus chirographarius creditor, non suum debitum habere potest, *fac. l. 16. D. de reb. autor. iudic. possid.* vid. Molinæ. *quæst.* 48. puta, alicui hypothecario creditori, obvenit prædium, ad quod chirographarius affectionem habet; ad quem aliàs nil perveniret propter anteriores creditores. Id prædium chirographarius habere potest, si hypothecario solvat: ut sic loco pecuniæ, fruatur affectione. Non tamen fidejussor, & similis, in pignoris distractione, ante alios emere potest; si extrà periculum existat. Molin. *n.* 347. Hic autem quæritur, (in casu ubi indemnitati suæ consulens tertius redimit) an tunc prius jus extinguatur: verbi gratiâ fidejussoris, & is possit contra debitorem, reditum ut principalis creditor exigere? Quod credo. *fac. l. 3. C. de his, qui in prior. credit. locum. & vid. l. creditor. 12. §. sciendum 6. D. qui pot. in pign. Molin. q. 49.*

XXIV. De annullatione usurarum & redituum sciendum: si mutuum, seu quicunque principalis contractus consistat; propter usuras superfluas eum nunquàm vitari, *l. pecuniæ 9. in pr. l. placuit 29. D. h. l. 1. C. de pact. pig. vid. l. Iulianus §. ibidem, D. de act. empt. ubi gl.* Gail. *2. obs. 4. n. 6. & 11. obs. item 5. & 7. n. fin.* Petr. Greg. *h. c. 10. lib. 3.* ut & aliàs in hac materiâ, ubi plura pacta concurrunt; licita, per illicita, non vitiantur. Petr. Frider. Mindan. *2. c. 71. nu. 12.* Diss. Molin. *quæst. 50. & seq.* Utiliter hic quæritur; si desint sollemnitates, ad constituendum reditum annuum necessariæ, (verbi gratiâ, si in hoc Ducatu, absit Principis consensus, wann Fürstliche bewilligung mangelt) adsint verò, quæ sufficiant ad hypothecæ constitutionem; anne, cùm hic contractus non valeat, ut reditus annuus, pariter quoque cesset hypotheca? Negat Molinæus *h. quæst. 14. n. 184.* Et sanè hunc propter defectum, actionem quoq; realem cessare, putare quis possit. *arg.* deß Fürstlichen Würtembergischen Landtrechtens *par. 2. Tit.* von verpfändung ligender Güter. Attamen & hoc non obstante, hypothecam, si aliàs ritè sit constituta, valere puto. (*1.*) Quia diversi sunt contractus, pignoris, & annui reditus constitutio. pignus namque est contractus: *§. fin. Inst. quibus mod. re contrah. oblig. l. 1. 4. & 6. D. de pignor.* licet à fine & effectu suo, cautio dicatur; quia præstat securitatem, *d. §. fin. l. 5. D. de pignor.* Nec hæc est pignoris, & fidejussionis natura, ut corruant unà cum principali, sed valeant omni meliori modo, quo valere possunt. Ac etsi obligatio principalis nulla siet: attamen fidejussores, & pignora manent obligata, dummodò naturalis obligatio subsit. Si urgeretur, hypothecam, vel pignus principali accedere obligationi, eâque corruente, concidere simul? Regeto; accessorium non sequi naturam principalis, cùm non eadem ratio in accessorio est, *l. & si is, C. de præd. minor.* Decius *ad l. cum principalis, D. de Reg.*

Iur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [56] - 54

Iur. Facilior autem, minusque solemnis, & favorabilior quoque est pignoris obligatio, quò ad sortem principalem; quàm pro annuo reditu. Quia illic de damno non incurrendo prospicitur; hîc de lucro certatur, & odium usurarum intervenit. Et agit item de hac quæstione Gailius, *lib. 2. obs. 4. & seq.* eamque aliter, ac Molinæus decîdit Sed porrò sciendum; licet per modò deducta, stipulatio illicitæ usuræ, haut vitiet contractum principalem: restitutionem tamen usurarum illegitimarum peti posse. Idque propriis usurarii sumptibus. Villagut *h. quæst.* 30. Zechus *h. c.* 4. Ut & omnia ejusdem bona hypothecæ nexu tenentur, pro usuris solvendis, illis à quibus ipsæ fuerunt extortæ: ita ut quicunque ex ipsis habuerit aliquid heres, id restituere teneatur. Villagut *q.* 32. Quin & cùm res immobilis, vel etiam mobilis (quæ tamen usu non consumatur) nomine usurarum, in solutum fuerit creditori data; dominium ejus non transfertur, in fœneratorem, Menoch. *cons.* 100. *per tot.* Anne verò, jurata usura, non legitima, soluta ut indebita condici potest?) Ita Petr. Greg. *h. lib.* 2. *c.* 18. putat. *arg. c. debitores 6. de Iureiur. c. 10 v. & utrum extr. h.* vid. Covarruv. *par.* 2. *relect c. quamvis de pact. in 6. §. 3. n.* 2. Modò Juramentum remittatur quod & à seculari Judice fieri potest; vel ex consuetudine saltem. Covarruv. *par.* 1. *dict. relect. §.* 3. *n.* 38. Et item quod dictum est de redituum annullatione: extendo, etiam contra Molinæum, *quæst.* 63. ad reditus temporales transcendentes. Sine controversiâ enim tales alioqui reditus valent. Molin. *quæst.* 64. 65. 67. & 71. Ubi notandum; ut inter creditorem, ita inter fidejussorem & debitorem, pactum legis commissoriæ non valere. Molin. *n.* 357. Diss. communiter Dd. ad *l. ult. in fin. D. de contrab. empt.* Steph. Bertrand. *cons.* 134. *n.* 13. *dub. lib.* 1. Attamen contra Molinæum, *n.* 360. *&c.* existimarem, cum communi; pactum in mutuo quoque valere, ut justo pretio res sit empta. *fac. lecta D. reb. cred. ut & n.* 369. *&* 377. idem, falli videtur, dum censet pactum legis commissoriæ, contractum reditus, in totum annullare, *l. cum allegas* 15. *C.* Nec minùs perperam, *n.* 372. in pignore pro dote, legem commissoriam admittit: contra *l. quamvis* 45. *de solut.*

XXV. Ardua quæstio est: si quis accipiat mutuum sub usuris, cum pacto, ut usque ad annum non solvat: num prius solvere queat? Id quod affirmo, cum Molinæo, *q.* 55. cõtra Accursiũ, *ad l. qui Romæ, in prin. ff. de verb. oblig. & ad l. fin. C. de pact pignor. per d. l. qui Romæ cui respondet. l.* 9. *§. si ita C. de solut.* Attamen cum Accursio, contra Molinæum, reputarem: si quis det fundum in antichresin non licere solvere ante annum: cùm hicce contractus intuitu fructuũ fuerit celebratus. Annè verò in fraudem possessoris post annum, sterilitatis ansa? Videturpericuli pretiumintervenire. Incidenter hîc monere visum fuit: non solvi posse

pecuniâ

pecuniâ talî, quam ſcit debitor brevi reprobandam fore. Sic namque qui ſervum debet, non liberatur, ſi ſtatu liberum præſtet. *l. cùm quis 38. §. qui hominem, §. 3. D. de ſolut. l. 9. §. 2. D. de ſtat. liber.* Et abſonum adhuc magis eſt, ſi quis citò, & ante terminum factâ ſolutione, anteverterе velit edictum reprobatorium monetale.

XXVI. Quod de nullitate contractus reditus, ratione venditoris dictum fuit; non id locum habet in emptore, ſi proprio dolo notetur. Diſs: Molin. *quæſt.* 57. vid. Matth. de Afflict. *deciſ. Neapol.* 80. Ut nec in venditore Rege. Molin. *quæſt.* 58. *Decian. par.* 1. *reſp.* 2. *Bodin. lib.* 1. *de Rep. c.* 8. *fol. mihi* 104.

XXVII. Quid verò, anne debitor, uſurario & ſimulato modo, aliquod prædium, verbi gratiâ, lege commiſſoriâ amittens, præſcriptione lædi poteſt? Et à bonæ fidei poſſeſſore; puta uſurarii herede, id poſſe, per triginta annos, cenſerem, *lib.* 3. *&* 4. *C. de præſcript.* 30. *annor.* Idque ſi rectè inſpiciatur, vult quoque Baldus, *conſ.* 272. *incip. utrùm, lib.* 3. *ſecundum veterem impreſſionem, aliàs eſt* 322. Non verò ipſe fœnerator, *arg. notatori. à Villagut quæſt.* 25. Multò minùs ergò acquirit ille dominium per uſuram acquiſitæ. Lopez. *inſtruct. conſcient. par.* 2. *cap.* 79; *Schurpff. vol.* 3. *conſ.* 79.

XXVIII. Cùm conſtitutio redituum, emptio à plerisque reputetur; hærere quis poſſet, propter *l.* 2. *C. de reſcind. vendit.* quàm hîc omninò locum habere nego. Molin. *quæſt.* 14. Quando enim res, de quâ agitur, certam æſtimationem habet, tunc vendi non poteſt pluris, *C.* 1. *de empt. ubi id notatur.* Aliàs res tantum valet, quantum vendi poteſt, *l.* 1. *§. ſi heres, D. ad S. C. Trebell. l. quærebat* 82. *ff. ad L. Falc. l. ſi quis uxori §. fin. D. de furt. l. mortis cauſſa, §. fin. D. de donat. cauſ. mort. l.* 2. *§. partio D. ad L. Rhod. de iact.* Nec minùs dictæ legis 2. æquitas iniqua adparet in eo, qui jam conſtitutum reditum (einen gangbahren Gültbrieff) emit ab aliquo minoris; ſi dimidii læſio exſpectaretur: Molin. *q.* 62. contra quem & uſuræ pœnam militare, contra Molinæum, reputarem.

XXIX. An reſcripta moratoria (quæ vocat Quinquenelle) ſuſtollant uſuram, non convenit? Idque nego. Molin. *n.* 64. Moller. 4. *ſemeſtr.* 7. niſi exprimatur. Ut & iis impeditur *conventionis pœna. vid.* Molin. *in conſuet. Paris.* §. 195.

XXX. Per brevem manum, in ſpecie *l. ſingularia* 15. *de reb. cred.* mutuum conſiſtit, *vid. l. qui negotia* 34. *D. mand.* ubi Cuiac. *ad African. tract.* 8. *& idem* 8. *obſerv. c.* 8. Molinæ. *h. quæſt.* 84. *& ſeq.* Borcholt. *de reb. cred. c.* 5. *num.* 18. Anton. Fabr. 1. *conjectur.* 16. Fachinæ. 2. *& controv. c.* 73. & me *tr. de Mutuo c.* 7. Tandem ne quid ex hujus diſſertationis priori editione, deeſſe videatur; addam & illi ſubjuncta quæ fuerunt παράρτημα.

I. Ex

I. Ex §. *Ius autem 2. Instit. de patr. potest.* cum Vaconio à Vaeunâ, *declarat.* 8. argumento traditorum à Bodino, *1. de Rep. c. 4. & Meth. histor. c. 6.* non evinci posse puto, Jus vitæ necisque patrum in liberos, esse juris civilis Romani, *vid.* §. *Cùm autem, 1. Instit. quibus mod. ius patr. potest. solv.*

II. In tantum non procedit æquitatis vis (de quâ *in l. placuit* 8. ubi Gothofr. **C.** *de iudic. l. si res* 8. (*ad exhib.*) ut legem iniquè scriptam, spernat Judex, vel Jureconsultus, *vid. l. 1. C. de L L. l. 1. §. 4. in fin. D. ad SC.* Turpil. vid. Nevizan. *Sylv. nupt. s. n. 68. & 88.* post Bologret. Fachinæus *1. controv. c. 3.*

III. Ex testamento non sollemniter facto, si nulla contra mentem testatoris præsumptio militet, vel militantes, aliis firmioribus excludantur; nascitur obligatio naturalis: secùs ac putavit Vasquius *de testator. potent.* §. *1. n. 22. & seq.* vid. Tileman. *Disp. 7. par. 2. Disp. D. th. 8.*

IV. Heres idcircò non præstans legata, indebitè vel minùs sollemniter relicta; cùm naturaliter sit obligatus: in foro indè conscientiæ, vel animæ, securus non est, Jas. *in l. nemo potest lect. 2. num. 95. & c. D. de legat. 1.* vid. Jul. Clar. §. *homicidium, n. 50. & 54.*

V. Jureconsulto, vel politico, Physices cognitio, summè & omninò necessaria videtur. Plato *lib. 3. de legibus, fol. mihi 588. lib. 4. fol. 589. & lib. 5. in fin.* Bodinus *lib. 1. de Rep. cap. 5. & Method. histor. cap. 5.*

VI. Princeps legibus solutus est, iis, per quas Princeps: civilibus nimirùm, Vasquius *illustr. cap. 51. n. 29. & 32.* Bodinus *lib. 1. de Repub. c. 8. fol. 83.* & vide Cominæum *lib. 10. Commentar. in fin.*

LIBRI II.

CAPUT I.

De Medicinâ, Medicis, Medicamentis atque Morbis.

VAletudinis etiam publicæ, suscipienda est cura Imperanti. Cùm autem, ut Agricultura sanis corporibus alimenta; ita sanitatem ægris promittat Medicina: quæri hîc licet; An Medici sint ferendi? Sanè Medicina primis temporibus non ita in pretio Romæ habebatur; sed ei ceu illiberali, & ingenuis indignæ arti, homines tantùm servilis atque libertinæ conditionis, operam dare debere, putabatur. Quintil. *lib. 7. c. 2.* Senec. *de benef. c. 24. l. 1. §. 5. C. de commun. serv. manumiss. l. 3. in prin. C. commun. de legat. l. 26. D. de oper. libert. l. 41. §. 6. D. de fidei-*

commiß. libere. Hinc & de Japide Virgilius canit:

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Humile enim abjectumque cenſebat, non in luce hominum vivere, & eloquentiâ, Imperatoriis artibus, extendere nominis famam. Sed vide tamen Joh. Talentonium, *lib. 2. rer. reconditar. c. 5.* Et etiam apud Aegyptios, Medici ſervierant. *Geneſ. cap. 50. vers. 2.* Sed quemadmodum & hodiè Jurisprudentia noſtra in minore pretio apud multos propterea eſt; quòd ad ſcopulos Bartoli, vel Cujacii, aut Donelli alligata, tanquam altera Andromede, non quidem à monſtris marinis devoratur, ſed cum monſtroſis cautelis, antinomiis, ampliationibus, limitationibusque miſerè conflictatur; nec ferè ullâ aliâ in re, niſi in proceſſibus formandis, Reipublicæ commodare poteſt: cùm tamen ſecundum Ariſtotelem, ea maxumè Architectonica, ſeu univerſalis quædam prudentia debeat, eſſe; ut & olim, teſte Cicerone, omne id ambitu ſuo comprehendebat quod tùm Romana civitas egregiè nôſſet: Pariter & quondam apud Romanos, cùm munia Medicorum atque Chirurgorum non dum bipartita erant, & utrorumque peritia, in ſcientia paucorum quorundam experimentorum conſiſtebat: haut mirum eſt, Divinæ hujus artis pretium, tùm temporis jacuiſſe. Cùm è contrà, apud eas ſemper nationes, quę Medicinã, ad univerſæ Naturæ accuratam diſquiſitionem extendebant; non in honore ea tantùm, ſed quæ à Regibus, aliisq; Magiſtratibus addiſceretur, digniſſima habita fuit. Inde, quòd Rex, atq; Sacerdos Magnus, & ſimul magnus Philoſophus, hoc eſt, arcanorũ Naturæ felicisſimus erat indagator; ter maxumi cognomen tulit Aegyptius Hermes. In eo etiã Salomonis ſapientiæ haut exigua pars ſita erat. non enim in judicando tantùm excellebat; ſed & idem ſuper lignis à cedro, uſq; ad hyſopum diſputavit; de jumentis, volucribus, & piſcibus diſſerebat. *1. Reg. c. 3. vers. 33.* Nullius horum naturam ignoravit, aut inſcrutatam reliquit: ſed circa omnes philoſophatus eſt, & ſcientiam proprietatum earum ſummam præ ſe tulit. Joſeph. *8. antiquit. c. 2.* Et Arabes etiam, quorum conditionem mirè commendat Galeottus Martius: *de doctr. promiſ. cap. 6.* Reges ſimul, & Medici erant: fuit & Meſue, Regis Damaſci nepos. Sed ampliùs, hanc in rem inquirere oportet: cùm & alii præter Romanos, iniquiùs de illis judicârint. Quin & etiam ex Patribus nonnulli, duriuſculè de Medicinâ ſunt locuti. Contraria divinæ conditioni præcepta Medicinæ ſunt: à jejunio revocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. B. Ambros. *ſuper Pſalm.* 130. Hippocrates & ſequaces ejus, docent animas ſalvas facere in hoc mundo. Qui amat animam ſuam, perdet eam: inquit Chriſtus. Qui perdi-

dit, vel ponendo, ut Martyr, vel affligendo, ut pœnitens, ſervabit eam. S. Bernhard. *ſuper Cant. ſerm.* 30. cùm ad B. Hilarionem adducta mulier cæca eſſet, quæ omnem ſubſtantiam in Medicos expenderat: ei dixit: ſi, quæ in Medicos perdidiſti, pauperibus dediſſes, curâſſet te verus Medicus Jeſus. Vitæ patr. Plura in Medicos dicteria, refert Stobæus, *ſerm.* 100. Franciſc. Petrarcha, *in invectivis, in Medicum obiurgantem.* Cornel. Agrippa, *in tr. de vanit. ſcient. cap.* 82. *& ſeq.* Guill. Bouchet *tom.* 1. *des ſerées, 6ap.* 10. du Bartas, *ſept.* 2. *en Eden. vers.* 190.

Les ſimples----
Ne gueriſſent qu' un mal, gueriſſant nous martyrent;
Et nous martyriſant, vident par leur longueur
Plus toſt nos coffres d' or, que nos corps de langueur.

In Moſcoviâ, ſolus Princeps Medicos habet. Mercure François, *tom.* 1. *fol.* 35. Sed viciſſim Galli proverbio dicunt: qu' il faiſoit mavais eſtre Roy pour mourir: propter certamina & multitudinem Medicorum, qui Principibus ægrotantibus adſiſtunt. Fereque multitudo Medicorum magnates perdit. Et neſcio, an homines, qui ſine Medico vivunt, infeliciùs vivant, aut citiùs moriantur? Chirurgis nempè, & experimentis quibusdam contenti: quibus nulla ferè gens caruiſſe videtur. Et quoque Podalyrius ac Machaon bello Trojano, Agamemnonem ſecuti: non in peſtilentiâ, neque in variis generibus morborum aliquid auxilii attulerunt, ſed vulneribus tantummodò, ferro & medicamentis mederi ſoliti fuerunt: Cornel. Cels. *lib.* 1. *c.* 1. Cornel. Agrip. *de vanit. ſcient. c.* 85. Ac adhuc hodiè Hiberni, à majoribus relicta quædam medicamenta habent: hereditateque non eruditione Medici evadunt, Inanes eſſe confirmant hominum conatus, in hoc exiguo vitæ curriculo, ſe Medicorum libris involvere: cùm eorum lectio adeò ſit infinita, ut priùs moriendo naturæ, quàm curatione, ægrotis Medicinæ Studioſus ſatisfaciat. Lectitant tamen pervetuſtas & famoſas membranulas, multis lituris interjunctas, Hibernicè ſcriptas, quas in ore & amore mirificè habent. Richard. Stanihurſt. rer. Hibernicar. *lib.* 1. *fol.* 43. *& ſeq.* Certè frugalitas, & ſobrietas, optima eſt hominis medicina. Guazzo, *de civil. converſat. lib.* 4. *fol. mihi* 644. Hincque Pyrrhiniculus Vaſco peregrè iter faciens, cùm ad meritoriam tabernam veniſſet, & adpoſita eſſet cœna, omni ex parte olitoria, cum vino dilutiſſimo, omniaque quàm parciſſimè adminiſtrarentur:: finitâ cœnâ, juſſit ad ſe vocari Medicum, ad mercedem capiendam. Igitur caupo, cùm reſpondiſſet: Ecquid malum, in viculo maximè agreſti Medicum requiris? Ibi ille. Num ô bone, teipſum ignoras? Quò ſit igitur merces operæ ſuæ par, Medici pretium accipe, non cauponis. Lycoſth. *in apophteg. tit. de abſtinentia, fol. m.* 4. Unde & Ovvenus, *lib.* 3. *epigram.* 123.

Vivere naturæ si convenienter amarent
Mortales, Medicâ nil opus esset ope.
Si saperent homines, rixis, avidisq; carerent
Litibus, & queruli Garrulitate fori.
Sic incompositus post scrinia Bartolus iret,
Et mus illectum roderet Hippocratem.

Ac de Medicinæ naturalis, exercitiis procuratæ præstantiâ, vide etiam Guil Onciacum, *lib. 2. colloquior. mixtor. cap. 4.* Variaitem contra Medicinam passim adfert Michaël de Montaigne, præsertim *lib. 2. des essais, cap. 37.* ubi *fol. 790.* refert: se parvum quoddam territorium propè Pyrenæos montes, cum Barone quodam commune habere: in quod antequam Medicus aliquis intrâsset, superstitiosâ illâ sanitatis curâ neglectâ, nemo ferè malè habebat: allioque si qui morbi nascerentur, facilè debellatos fuisse. *Ces Turcy commença à leur apprendre premierement, le nom des fievvres, des rheumes, & des apostemes: & au lieu de l' ail, de quoy ils avoient appris à chasser toutes sortes de maux, pour aspres & extremes qu' ils fussent: il les accoustuma pour une toux, ou pour un mor fondement, à prendre les mixtions estrangeres: & commença à faire trafique, non de leur santè seulement, mais aussi de leur mort. Ils iurent, que depuis lors seulement, ils ont apperceu, que le serain leur appesantissoit la teste, que le boire ayant chaud apportoit nuisance, & que le vents de l' Automne estoient plus griefs, que ceux du prin temps &c.* Et idcircò idé ille *lib. ult. c. ult. fol. mihi* 1089. experientiâ, ac propriam observationem in primis huic arti prę fert. Narrat itē Cardanus, *tract. de utilit. ex adversis capiendâ, lib. 2. tit. de morbis.* historiā sui morbi, ac quomodò à Medicorum pertinaciâ fuerit delusus, tandemque addit: Tùm verò mecum reputare cœpi, quanto in periculo, ob desidiam ac pertinaciam Medicorum, mortales versarentur: mecumque dicebam: Quid miseris istis, qui artis sunt ignari, continget, si me, quem fallere non posse intelligant, ita tractant.

II. Neque tamen ea, quæ hactenus sunt adducta; artis nobilissimæ contemptum, utvé eam ex civitate ejiciamus, à nobis impetrare queunt. vid. Joh. Gerhardi *centur. quæst. politic. decad. 9. quæst. 5.* Oswald. Hilliger. *ad Donell. lib. 5. Commentar. cap. 9. lit. n.* Hieron. Cardani *Encomium Medicinæ, quod est tomo 1. artis parvæ.* Rodericus à Castro *in Medico politico lib. 1. cap. 7. & seq.* Sanat equidem solus languores Deus: idem tamen de frugalitatis solio produxit in largitate suâ Medicinam, benedictus, glorioſus, & excelsus, ut Mesue alicubi inquit. Unde non immeritò Erophilus, teste Galeno, *lib. 6. de compos. Medicament. secundum loc.* salutares Dei manus pharmaca nominabat. Rachel, quamvis fœcunditatem obtinuerat à Deo; non tamen priùs concepit, quàm

poma

poma Mandragora, à sorore accepta degustasset. *Genes.* 30. Joseph. *antiquit. 1. cap.* 28. Tobias, non priùs recuperabat visum, quàm felle piscis, caligantes oculos inunxisset. *Tob. 6. vers. 9.* Ezechiæ vitam prorogavit Deus; sed noluit absque emplastro de ficubus, apostema ejus curari. *4. Reg. c. 20. vers. 6. & 7.* Quamvis enim etiam sine mediis, ut in omnibus; ita & in sanitate restituendâ, Deus agere possit: cùm prima causâ, facilè suppleat deficientiam secundarum: plerunque tamen mediis utitur; ut scilicet ipse naturæ & medicaminum auctor, in operibus naturæ glorificetur. Dominus ex terrâ creavit Medicamenta, quæ prudens homo non fastidit. Syracid. *cap.* 38. *vers.* 1. *&c.* Salvator ipse, non Jureconsultum, non Rhetorem, non Philosophum; sed Medicum se professus, negat Medico opus esse iis, qui benè habent: sputum etiam terræ mixtum, illivit oculis cæci. Ipsa necessitas quoque Medicinam satis commendat, ægrotare enim incipimus, mox ubi nati sumus. Qui verò rem familiarem administrant, & Reipublicæ præsunt, curare suorum valetudinem debent: cumque perse id præstare non possint, Medicos jure civitatis, immunitatibusque meritò donant; Quod & teste Suetonio, Romæ olim fecit Julius Cæsar. vid. Brisson. 2. *antiquit. c.* 3. Et Græcia, Hippocrati, ob pestem ignis vapore ex Illyria depulsam, honores divinos decrevit. Plinius *natural. histor. lib. 7. cap.* 37. Constituantur ergò & admittantur Medici, non tamen quivis; sed explorati. Plato *lib. 3. de Repub.* Dalner. *de Iur. homin. par. 1. cap.* 12. Sed ita ij consulantur, ut non despiciatur Deus; ast primò omnium Deus oretur, avertat se à delicto ægrotus, &c. Syracid. *c. 38. v. 9. &c.* Etiam Medici ut faciant officium suũ, Magistratus providere debet. Canonhiero *l. b. 9. dell. introduzz. alla politica, cap. 6.* Medicis item uti debemus tempore necessitatis; nec ferri debet, ut homines assuefiãt Medicè vivere: quod miserrimũ, simulq; Reipublicæ pernitiosum esse videtur. Et item debet quilibet, aliquo modo Medicinæ esse gnarus; aliter fiet quasi servus Medicorum. Hocque monet Cardanus, Medicorum ferè præstantissimus ipse; dum in dicto Encomio Medicinæ, *fol. mihi 651. b.* ita scribit: Expediret cuique propter se, suosque, etiamsi Medico uti vellet, artem ipsam tenere: ut quæ Medicus perperàm non ex arte, aut per incuriam, aut usui suo, suorumve; aut naturæ incommodo, licet ex arte delinquit, corrigere possit. Optimè Plutarchus, in aureolo libello, de sanitate tuendâ: sic sentio, ait, debere unumquemque cognitas habere pulsuũ, suis in arteriis proprietates; neque ignorare, quâ temperie corpus sit, caloris aut siccitatis, quibusve rebus juvetur, aut lædatur. Seipsum enim non sentit, suoque in corpore, cœcus inhabitat ac surdus, qui hæc ex alio cognoscit; & Medicum percunctatur, æstaténe, an hyeme meliùs valeat, commodiúsne, humidis.

midis, quàm siccis vescatur, naturâne crebrum habeat aut ratum pulsum? Hæc & utile est habere cognita, & facilè percipiuntur studio atque usu. Et porrò non adprobandus est mos ille imperitorum Medicorum, qui non nisi peregrina medicamenta, & variè mixta curant; virium, quas simplicia ubivis obvia habent, ignari prorsus. *D' entendre quelque chose es simples, il n' en est question: ainsy va le tout par dispensatoires, & receptaires.* Antoine du Pinet. *in chosmographia, fol. mihi* 106. *&c.* Ubi de Montpelier agit, & varios Medicorum abusus simul taxat. Ac pariter multitudinem ingredientium Medicamentorum improbat Petræus, *part.* 2. *Nosologiæ, dissert.* 36. *coroll.* 2. *fol.* 259. eamque non necessariam, inutilem, incertam, periculosam, & sumptuosam esse dicit. Quantò plura sunt componentia medicinæ, tanto est componenti minùs certus effectus ejus, ut alicubi ait Arnoldus de Villâ novâ.

II. At annè Medici esse debent singulorum morborum? Nam & fuerunt olim, qui peculiares hominis partes tantùm curabant. Mercurial. *lib.* 2. *variar. cap.* 8. Talentonius *dict. lib.* 2. *rer. reconditar. c.* 6. Ac in *l.* 1. *ff. de var. & extraord. cognit.* nutrices, & omnes ij, qui alicujus membri sanitatem præstare pollicentur; quales sunt, qui dentes, qui auriculas, se sanaturos profiteri solent; ad numerum Medicorum adscribuntur. Sed Galenus, aut quicunque ille fuerit auctor Libelli de Medicinæ partibus *cap.* 2. statuit rectè, hanc Medicinæ partitionem, Empiricorum fuisse inventum, ac præbuisse illis inventi occasionem, Ocularіorum Medicorum nomen, quod jam diu impositum erat (& nempè Higynus, *in Mythologico poetico* Apollinem dicit, ocularіam artem Medicinam primùm fecisse) siquidem horum exemplo mox factum sit, ut etiam dentarii sint orti, anicularii, auricularii, & alii aliarum omnium corporis particularum Medici. Dubitari etiam video; An Medicus debeat esse sanus? Plato sanè, *lib.* 3. *de Republ.* Medicos fieri excellentes ait, si à primis annis, artem addiscere aggressi, cum plurimis sint ægris versati, simulque omnes ægritudines experti, ac valetudine naturali non fruantur. At è contrà Hippocrates ait, in libro de Medico; Medicum carnosum, & optimi coloris esse debere: eò quòd existimet vulgus; eos qui non sic benè dispositum corpus habent, neque aliis benè prospicere posse. Talenton. *lib.* 3. *c.* 5. Sed verò & in re militari, proficuum reputatur belli Duci aliquando fuisse victum. La Nove *Discurs.* 18. *paradox.* 3. Ajunt & illum Medicum, de quo confidunt infirmi, plus ægritudines sanare; hocq; accidere, quoniã sanitatis formam anima Medici continet, ac vehementi ægrotorum imaginatione concepta, virtutem malè valentem roborans, debilitet morborum causam. Galeottus *de doctr. promisc. cap.* 15. Rodericus à Castro, *in Medico Politico lib.* 2. *cap. ult.*

Ex

Et ideò ajunt, Medicum, nisi accersitum, ægrum visitare non debere: cùm si non vocatus accedat, certus esse de illâ confidentiâ non possit. Item *lib. 3. cap.* 14. Exoptatur item meritò Medicus ille, qui cum peritiâ rationalis artis, exercitationem in operibus conjunxit. Ac propterea existimant plerique; juvenem Medicum, ad curandum non idoneum esse: quoniam nempè diuturnam exercitationem, quæ ante canos non venit, nondum potuit habere. Et sic in proverbio est; Medicus novus, Cœmiterium novum. Et certè præstant juvenibus senes, ut ad res alias omnes, quæ in prudentiâ & judicio sitæ sunt: vel maximè ad opera Medicæ artis. At verò ut inutiliores expertis sunt ijs qui manus medicas nullis ægrotantibus admoverunt; ita adhuc deterius est, erroribus assuevisse. Quales sunt ij, qui cum juvenes adhuc, parùm studiis litterarum profecerunt; repentè ad ipsa opera se transferunt, lucro inhiantes. Ut plurimùm tamen ætas juvenilis, tolerantiâ & officio præstat; sapientiâ autem & judicio senilis. Rodericus à Castro, *dict. lib. 2. cap.* 10. Ajunt quidem Medicum ad cognoscẽdum morbum sufficientem, sufficere etiam ad eundem curandum: Medico item causâ morbi cognitâ, paratam esse curationem. Nil aliud Medicum existere, nisi naturæ usque dum operantis adjutorem. Guil. Onciacus, *lib. 2. colloq. mixt. cap.* 1. Proindè hæc ipsa natura, ab Hippocrate erudita appellatur, docta, medica, sufficiens, & justa. Ita ut videatur, quemlibet diligenter studiis incumbentem Medicum fieri posse. Sed tamen illos Medicos inprimis ego laudo; qui unà cum eruditione, præcellunt naturali quadam dexteritate. Quin & quod attinet ad ipsius Medici famam, atque existimationem, aliquid in ipsâ etiam fortunâ situm esse, quibusdam videtur Rodericus à Castro, *dict. lib. 2. cap.* 14. Traditum porrò est; Medicum etiam invitum mederi cogi. Speckhan. *cent.* 1. *quæst.* 32. sed tamen quibusdam videtur; non omnibus indifferenter, medicas, auxiliaresque manus adhibendas esse: nec sibi ipsi, suisque; eò quòd juxta illud Platonis; omne amans fallatur supra id quod amat. Verùm jam sæpè laudatus à Castro, *lib. 3. cap.* 15. censet; etiam barbaros & intemperantes, quantumvis agrestes, & remediis parùm assuetos, à beneficio medicinæ nequaquam excludendos esse. Adeò ut nec hostes excludat; licet aliud senserit Julius Alexandrinus. Cujus rei æquitatem, probè intelligentes prudentissimi Principes; hostes suâ tali beneficentiâ ac humanitate nullo modo spoliarunt. Sic refert dictus à Castro, *ibidem*, Carolum V. Imperatorem filium Saxoniæ Ducis, bello captum, vulneribusque fœdatum, humanissimè curari jussisse. Festanumque Regem ægrotantem, à Johanne III. Lusitaniæ Rege, cum quo bellum crudelissimum gerebat, medicum postulasse; eumque impetrasse, & ita à gravissimo morbo

morbo fuisse liberatum. Quodque Celsus scribit: prudentis hominis esse, eum qui servari non potest, non attingere; ne speciem subeat ejus occisi, quem sors ipsius peremit; ne qui periit morbi rigore, Medici aut ignorantiâ, aut negligentiâ periisse videatur: hoc item, ut &, quod negatur à nonnullis, morborum incurabilium curam esse suscipiendam; cum eâ limitatione est accipiendum; dum scilicet nulla remaneat spes vel salutis, vel doloris levamenti. Rodericus à Castro, *lib. 3. cap. 17. & seq.* qui consimiles adhuc alias, jucundas Medico-politicas quæstiones *eo in tractatu* coacervavit Et item non frustraneâ spe ægrum lactare debet; si indè periculum animæ metuendum videatur. Speckhan. *cent. 1. q. 30.* Video porrò plerisque placere, à Medico exactissimam in ægro curando, diligentiam desiderari. Siquè talis non præstetur, distinctio est adhibenda. At enim imperitia enecat ægrum; & tunc ad legem Aquiliam, extraordinariamque convolandum est pœnam. Aut studio id facit, ubi Lex Cornelia de sicariis locum habet, Peinlichen Halßgerichts Ordnung Caroli V. *Artic.* 134. Wolffgangus Sattler *Disput. de Iure & privilegiis Medicorum, quæ est tom. 1. Disput. Basil. thes. 33. &c. ac thes.* 44. Rodericus à Castro, *lib. 3. cap.* 23. Speckhan. *cent. 1. quæst.* 24. Quamvis Plinius dicat, *lib. 29. cap. 1.* nullam legem esse, quæ puniat inscitiam capitalem Medicorum, nullum exemplum vindictæ. Ac etiam Hippocrates *dict. lib. de lege* scribat; soli Medicinæ nullam statutam esse in Rebuspublicis pœnam, præterquam ignominiæ. Hæc tamen omnia intelligi debent, intuitu difficilis probationis culpæ, ac propter ipsius rei incertitudinem atque obscuritatem. Ut & Plato 9. *de Republ.* inquit: Quivis Medicus, si is, qui ab eo curatur, moritur, invito ipso, purus sit secundum legem. Unde si Medici negligentiâ, vulnus deterius reddatur, moriaturque vulneratus; vulnerans reus mortis haberi non debet, sed tantùm læsionis. §. *præterea, ubi Angel. Instit. de Leg. Aquil.* Numque vulneratus ex vulnere, an verò perierit ex superveniente accidente; ex Chirurgorum & Medicinæ peritorum judicio determinatur, si tamè singulare præstiterint juramentum; Constit. Criminal. Carol. V. *Artic.* 149. Gail. *lib. 2. observ. III. num.* 18. Nec item facilè unius dicto stari debet, Sattler. *dict. Disput. thes.* 46. Ac quomodo testificandum sit circa eos, quibus venenum exhibitum fuit, deque ratione judicandi in capitis vulneribus, & in iis, qui aquâ fuerunt suffocati; ac quomodo amissa virginitas deprehendatur; consule eundem Rodericum à Castro, *lib. ult. cap.* 10. *& seqq.* Cæterùm Medici numerarii præsertim, & Archiatri; immunitatem omnium munerum, civilium & publicorum habent. Sattler *thes.* 50. *&c.* Ac ne ullo modo, vel in curatione, vel institutione præpediantur, publico eos salario frui voluerunt Imperatores, *l. Medicos*

§. *ult.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [66] - 64

§. ult. C. de professor. & Medic. Ac de eorum mercedibus, Magistratus extra ordinem cognoscit, *l. 1. §. 3. ff. de extraord. cognit.* Cujac. *observ. lib. 17. cap. 27.* Speckhan *cent. 1. quæst. 27.* Sic & Medico forensi, ad certum diurnum salarium conducto, id etiam pro itinere debetur, Speckhan *cent. 1. quæst. 25.* Verùm pauperem, etiam gratis fideliter curare debet, *l. 9. C. dict. tit. de profess. & Medic.* Gail. *1. observ. 43. n. 13.* Speckhan *cent. 1. quæst. 33.* Nec item ea, quæ sibi in periculo constitutus ægrotus promittit, exigere potest. Sattler *dict. Disp. thes. 66.* Indè frequentiùs receptum est; Medicis in fine demùm salarium deberi. Speckhan *dict. cent. 1. quæst. 26.* Quam tamen opinionem, licet communem, deridet Zasius, *in §. Tripli, Instit. de action. in fin.* dicens: Quòd si verum esset, Medici non induerentur tàm splendidis & purpureis vestibus; qui semper, sive moriatur, sive sanetur infirmus, æqualiter triumphant. Sed utut sit; certè Medicus protrahens curam, ut eò plus pecuniæ extorqueat ab ægro, graviter puniri debet. Speckhan. *dict. cent. 1. quæst. 29.* Et tandem, non minùs quàm ipsi Medici, Pharmacopolæ puniuntur; si avaritiâ & lucri libidine inexhaustâ, etiam contra Medicorum præscripta vel ex propriâ temeritate, quasvis medicinas, ex corruptis speciebus, aut herbis ac radicibus planè emortuis & carioſis componunt. Angel. *in d. §. præterea, l. de Leg. Aquil.* Damhouder. *in prax Crim. cap. 77.* Ac item de Medicis, eorúmq; officio, & salario videri potest Thomas Actius, *tract. de privileg. infirmor. part. 1. rubr. 44. & 49.* qui item *rubr. 46. & seq.* de custodibus infirmorum tractat.

IV. Sed anne vitæ humanæ terminus arte Medicâ prorogari potest? Quâ de re in utramque partem disputat Johannes Hartmannus, *Disput. Chymico-Medicâ 8. à princ.* & Bartholomæus Musculus *de succes. conventional. class. 1. membr. 3. ad finem.* Et sanè providentiam divinam, quæ universaliter non solùm genera singulorum, sed etiam singula generum, ac minutissima cuncta, ipsosque capillos concernit; falli & mutari non posse; Theologis lubentissimè Medici concedunt. Sed quod attinet terminos vitæ naturales, præfixos à Naturâ tàm universali, quàm particulari, & domestica semini insitâ pro cujusq; temperamento, corporis structurâ, & principiis vitæ firmioribus vel infirmioribus discrepantes; in iis ut abrumpendis libido voluntatis humanæ, ita dilatandis & propagandis, prudentia artis plurimùm valet. Loquimur nempe de terminis naturalibus vitæ; mortemque Philosophicè consideramus, illam humidi & calidi primigenii consumptionem. Hocque & Paracelsum innuere ajunt; dum dicit, mortem ex Iliadi resolutione, per industriam Medici impediri posse; minimè illam quæ est exente. Sic & Marsilius Ficinus, *lib. 2. de vitâ producendâ, cap. ult.* scribit; obitum naturalem

turalem differri posse, cùm machinis Astrologiæ, tùm & præsidiis Medicorum. Tandemque addit: Non te pigeat perquirere à Medicis, quæ naturaliter tua sit diæta; & ab Astrologis, quæ stella vitæ faveat, & quando hæc benè se habet, & ad eam Luna, compone quæ didiceris prodesse. Dubium certè in eo nullum est; sobrios, abstinentes, & pios, centesimum quandoque excedere annum. Nam & Galenum (quanquam se quater laborasse tertianâ, & semel Causone, seu æstuanti febre fateatur, *in lib. de tremor. & frigor.*) centum & quadraginta annos (alii centum & septuaginta malunt) vixisse Suidas tradit: tantaque eum in cibo & potu usum abstinentiâ ajunt; ut nunquam comederit vel biberit ad satietatem: neque suadente etiam patre, crudum quid unquàm degustârit; tandemque sine aliquo morbo, solo senectutis defecerit marasmo. Idemque Galenus, alicubi scribit; se sola victus bona ratione effecisse, ut vitam longo tempore viveret sanam. De Xenophilo Musico, Plinius *lib. 17. cap. 50.* refert; quòd propter eandem corporis sui curam, & cognitionem (quâ solâ constare valetudinem Cicero dixit) sine ullo corporis incommodo, vixerit centum & quinque annos: Hieronymus Brunsvvicus, Medicus & Bibliopola Argentinensis, vitam ad annos centum illæsa valetudine produxit: adhibito medicamento, quod describit Ranzovius *tract. de conservandâ valetudine cap. 27.* Alia ratio fuit longævitatis Patriarcharum, eorum ante diluvium inprimis, de qua Petrus Messias, *lib. 1. var. lection. cap. 1. & 2.* quamque in dubium vocare impium esse videtur. Neq; ullo modo audiendi sunt, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, ut pluribus evincunt Franciscus Floridus Sabinus, *Syllog. 5. lect. subcis. cap. 3.* apud Dn. Gruterum *tom. 1. Lampad. artium, fol. 1096.* Caspar Dornavius *in Mathusalah vivace.*

V. Sortilegi, & incantatores, sub specie Medicinæ fucum facientes, omninò sunt pellendi. Latherus *lib. 3. de censu, cap. 21.* passim pulcherrimè Heurnius, *method. ad prax. lib. ult. cap. 28.* & Philippus Camerarius *cent. 3. meditat. historic. cap. 30.* Rodericus à Castro, *in Medico-politico, lib. 4. à princ. cap. 1. &c.* Johannes Langius, *lib. 2. epistol. 46.* Unde meritò Salvatores, sive Salutatores abominamur; qui varia genera morborum, vel solo afflatu, osculo aut tactu, vel aliis levibus modis sanare solent: Dn. Adamus Keller, piæ memoriæ, Fautor olim meus honorandus, *lib. 2. de offic. Iuridico-politici, cap. 21. fol. 531.* & de quibus mirabilem historiam refert Antonius Torquemada, *en la 3. journée, de son hexameron, ad fin.* Improbanda sunt remedia superstitiosa, & ab Ecclesia reprobata: de quibus huncce Canonem habet Paulus Grillandus, *tractatu de sortilegijs, quæst. 6. n. 22.* Quotiescunque adhibentur aliqui characteres, seu nomina ignota, aut aliæ quæcunque observationes; quæ manifestum est, quòd naturaliter efficaciam sanitatis, & expulsionis ægri-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [68] - 66

tudinis illius habere non possunt; talia semper judicanda sunt superstitiosa & illicita; Etiam ut magiam fœdam & sordidam abominatur Scaliger, *de subtilitate, exercit.* 327. si quis curet cadaveribus, funibus suspensorum &c. & addit, hæc si quis attrectare audeat, etiam mereatur. Sic Bodinus, 3. *de Magorum Dæmonomaniâ, cap.* 2. concludit: Magus posse interdum à maleficio, morbóve solvere, quem magi alii, aut ipsi quoque immiserint. Sed neque omnes, neque semper possunt. Cùm etiam in jure fassi sunt, ex more oportere, ut in alterum traducant sortes, alioquin non posse ipsos effugere, quin sortes illæ in ipsosmet recidant. Adeoque indubitatum Bodino est axioma illud: nunquam Satanam benè facere, nisi ut gravius ex eo redundet malum; atque ita naturæ Dei adversatur, qui nullum malum fieri permittit, nisi ut majus consequatur bonum. Ac Reverendus Pater, Martinus Delrio, *disquisit. Magicar. lib.* 3 *part.* 2. *per tot.* de vana observantia agit, eamque definit Magiam superstitiosam, qua commodum aliquod speratur ex re, quæ nec supernaturaliter eò pertinet, neque naturaliter id præstare potest. Nominatur ea vana; quia vel non consequitur effectum intentum, vel si consequatur, plus noxæ, quàm commodi adfert. De qua Cajetanus, *in summa, verbo superstitio*, ita scribit: superstitio quoque est, observationum in verbis, aut rebus sacris portandis, dicendis, utendis, adjunctis aliquibus conditionibus non malis, quarum ratio nescitur. Ut patientes spasmum nervorum primo Carlino oblato Christi cruci, in parasceve utuntur pro remedio, confecto ex illo annulo, & sic de similibus. Quantum enim adparet; in hujusmodi superstitio intervenit, quoniam vanæ conditiones adparent. Pariter Delrio, *lib.* 6. *cap.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 1. *fol. mihi* 378. *&c.* maximè contra Paracelsum disputat: qui tradit; si quispiam supernaturali morbo, vel dolore, per incantationem detineatur, illi nullum naturale remedium prodesse; sed magicum remedium esse oportere, quo morbus tollatur, quali & introductus fuit. Hocque utendum esse in forti imaginatione. Hisque Delrio adnumerat, *dict. quæst.* 1. *num.* 9. lotium humanum, quo Dæmones fugari, incantationesque ac sortilegia abigi posse multi adfirmant: ut etiam innuit Satisberiensis, *lib.* 1. *polycrat. cap.* 8. Pertinent huc, qui exorcizant morbos, eosque certis abigunt imprecationibus: quale exemplum, supra fidem, sed historicus non vanus refert Petrus Matthæus, *lib.* 7. *del' histoir. de France, num.* 7. ubi de morbo Reverendissimi Episcopi Argentinensis, agit, & consentit Rudolphus Botereius *Historiarum sui temporis lib.* 11. *fol. mihi* 192. Vanum ergò est, quod de Salomone scribit Josephus, *lib.* 8. *antiquit. cap.* 2. eum incantationes composuisse, quibus morbi pelluntur; & conjurationum modos scriptos reliquisse, quibus cædentes dæmones ita fugantur, ut in

posterum nunquam audeant reverti. addatur Melanchthon *tom. 1. declamat. fol. 691.* ubi disquirit, nùm rectè libri Medici Salomonis fuerint abroliti iam olim? Magicumque fuit, quod ibi Josephus refert, se vidisse Judæum, Dæmoniacos curantem admoto ejus naribus annulo, sub cujus sigillo inclusa erat species radicis, à Salomone indicatæ &c. Superstitiosum & impium est, quòd verbis quibusdam, nonnullos jam diu ad morbos depellendos usos fuisse constet. Et nempè Ulysses narrante Homero, *Odyss. lib. 19.* sanguinis profluvium carmine inhibuit. Aetius item, *lib. 8. cap. 50.* ait: Ad eductionem eorum, quæ in tonsillas devorata sunt, statim te ad ægrum desidentem converte, ipsumque tibi attendere jube, & dic: Egredere os, quemadmodum Jesus Christus, ex sepulchro Lazarum eduxit. &c. atque adprehenso ægri gutture dic; Blasius Martyr Christi ait, aut ascende, aut descende. Trallianus, incantationes plurimùm posse juvare asserens, *cap. 4. lib. 9.* auctoritate Galeni, sententiam suam confirmat, ita dicens; præterea etiam Divinissimus Galenus; qui ne esse quidem incantationes putavit, longo tempore, multoque usu plurimùm ipsas posse deprehendit. Audi igitur verba illius: Nonnulli putant incantationes anicularum fabulis persimiles esse, quemadmodum ego quoque diu existimavi; temporis autem processu, ab ipsis, quæ evidenter adparent, persuasus sum, vim inesse. Nam in percussis à scorpione, adjumentum expertus, nihilò autem minùs in ossibus gutturi infixis: quæ incantatione expuebantur, ac multa præclara, singulæ habent incantationes. &c Inter vulgares in Hispania, nil magis receptum esse scribit Franciscus, Valesius, *c. 3. de Sacrâ Philosophiâ*, quàm quibusdam recitationibus, (*ensa'mos* vocant) morbos quosdam aut etiam omnes curari. Videtutque hoc ita se habere, vel hoc argumento, quòd si verba quædam noxia sunt, aut etiam mortifera; possint etiam alia salutaria esse. Sique, ut ex Attali sententiâ Plinius narrat, prolatâ hac voce *Duo*, visus scorpio cohibetur, ne vibrare ictus possit: ac si, ut Vergilius alicubi ait,

Frigidus in campis cantando rumpitur anguis.

Quî quæso negari possit, naturalis verborum vis? Quodque vanum haud sit, quod de incantationibus fertur, adparet ex Psalmo 57. ubi mentio fit aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quò non exaudiat vocem incantantis; & venefici incantantis sapienter. Sed utut hæc sese habeant in veritate: certè ejusmodi mediis uti prohibet Deus. *Deuteron. 18. Isaiæ cap. 47.* eoque nomine reprehenditur Manasses 2. *Paralip. 33.* Videturque ferè semper vel implicitum saltem pactum cum hoste generis humani in hisce, similibusque aliis, intervenire. Quò conducit referre historiam fide dignam, & à Trithemio, *quæst. 3.* ad Maximilianum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [70] - 68

num Cæsarem relatam. Erat homo quidam custos porcorum, qui incluserat schedulâ bacillo, nomen Beati Martyris Blasij continentem: cui etiam tantum fidei deferebat, ut baculo in medio gregis, terræ adfixo, lupum ab accessu prohibitum crederet omnem. Stulta hâc confidentiâ, per longam experientiam roboratâ; ibat ille securus quocunque volebat, demittens sine periculo in nemore porcos. Contigit autem pertransire virum Sanctum, qui cernens dæmonem custodiam habere gregis; dixit ad eum; Quid miser hîc agis? Qui respondit: Istos custodio porcos. At ille. Quis tibi curam porcorum commisit? Iterum respondit: Stulta confidentia pastoris; nam schedulam bacillo ingestam magnæ putat esse virtutis, quasi Blasii cujusdã meritis lupi arceantur à porcis, suã peccavit in legem, & nostras sequitur vanitates. &c. Evincit item Beatus Thomas 2. 2. *quæst. 96. artic.* 4. suspendere ad collum verba etiam divina, licitum haut esse. Quia cùm Evangelium quotidiè in Ecclesiâ legi solet; si verba DEI non prosunt in aure, quomodo circa collum posita poterunt salvare. Cumque virtus Evangelii sit in intellectu, non in figuris, meliùs in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa. Nec ex decreto Canonici Juris, in collectionibus herbarum, aliquas licet attendere observationes aut incantationes; nisi tantùm Symbolum aut Dominicam Orationem: ut solùm creator omnium, honoretur, *can. non licet. 26. quæst. 5.* Beatus Thomas *dict. loco.* Alexander in summâ, *part. 2. quæst. 52. artic. 6.* Similiter extra lineam excurrere videntur, qui existimant, se programmata sydèrum, gemmis & metallis insculpere rectè, licet etiam eruditissimus Ficinus in libro (aliàs insigni) *3. de vita cælitus comparanda, cap 15. & seqq.* de ejusmodi imaginibus habeat multa. Ut & Rudolphus Goclenius, Junior, *in tractatu de peste, fol.* 177. *in tractatu de Magnetica vulnerum curatione, fol.* 30. *Idemq; in Synarthrosi magnetica, contra Iohannem Robertum Theologum Societatis Iesu. fol.* 101. Hæcque opinio ex eõ Ptolomæi Libello, qui ὁ καρπὸς inscribitur, nata Johanni Heurnio videtur; *suprà dicto cap* 28. ubi *ad* 9. *aphorism.* affirmat Haly, secreta imaginum, aperire Ptolomæum: nam, inquit, peculiares rerum inferarum formas, συνοικειώσει, à peculiariter cœlitùs sibi dicatis formis moveri: sic cœlo hærentem scorpium, in nostros hìc jus naturæ exercere; ut in serpentes, serpentem. Hincque imaginum Magicarum Studiosos, lapide formam suis negotiis studentem cælare; cùm jam jam Planeta, è radiis solis emicans, ad hanc cœlestis sideris formam proficisci solet: tantamque imbibere vim, ut quodlibet negotium, his vel promovere, vel inhibere possent. Sed non ignorant doctissimi quidam viri, cùm signaculis & carminibus curatur, non indè dimanare vires: sed maxumè ex persuasione, falsaque fide, seu imaginatione, dæmo-

nes astrales attrahente. In quo consistit spuria Platonica Philosophia, illeque Paganismus, quem Julianus Apostata reducere conatus fuit; ac Porphyrius, similesque excoluerunt, quorum vitas Eunapius Sardianus Græcè descripsit. Sanè quarum artium ac naturarum instrumentis nequimus esse pares; earum artifices nunquam evadere nos potis est. Non igitur Magia pro arte haberi debet; cùm ejus instrumentum, Dæmon, haut in nostra sit potestate: sed imò, ille potiùs miseris mortalibus, utitur pro instrumento, sibique artem, latrocinium facit. Quare iterùm dico, Dæmonomagiam, ex se, à verbis, characteribus, consimilibusque rebus, nullam potentiam sortiri: sed gentis à Deo aversæ superstitionem esse. Huc que & pertinere videtur Characteristica cura, cui Georgius Phædro, Medicus aliàs excellens, *in tractatu*, vollkommene heylung aller offenen schäden/ *lit. C. 5.* plurimùm tribuere constat. Ast anne in classem hanc Theurgia referenda erit, quæ fit per nomina Sacrosancta, & precationes bonorum Angelorum: quam Cabalam Hebræi vocant, quamque Esdras veritus, ne temporis iniquitate intercideret ea, ex sententia septuaginta senum, in totidem volumina dicitur digessisse: Eam juniores Goetiâ, postea conspurcarunt, & odiosissimam omnibus bonis reddiderunt. Sed verò Picus Mirandulanus, & etiam Iohannes Pistorius, reducere veriorem satagerunt: quo tamen singulari tractatu Dn. Iacobus Heilbronnerus, *in tractatu de magica & Cabalistica morborum curandorum ratione, qui titulum habet, Dæmonomania Pistoriana*, passim odiosissimè sugillat. Ego amplio, & piis, doctisque magis lampada cursu trado.

VI. Attamen dubito ego planè nullus, plurima in naturæ sinu abdita latere, vix pervia sensui, vel etiam rationi humanæ: quæ quamvis lateant ob ignorantiam nostram, ab illicitæ tamen Magiæ crimine sunt aliena. Nec omnia miracula Magica, Diabolica existunt: Pharisæorumque proprium est, cuncta tribuere Diabolo, quorum ratio ipsis est ignota. Ita in illis rebus quæ appenduntur, periapta vocant, non rarò latet quædam occultior facultas. Hisque lubenter olim etiam doctissimi Medici utebantur, cùm malum, alterantibus & purgantibus invictum foret. vide Johannem Heurnium *dict. method. ad prax. dict. cap. 28. lib. 3. fol. mihi* 401. *&c.* Sicque multifaria amuleta, seu remedia inveniuntur, quæ specificâ & occultâ virtute, venenis ita adversantur, ut ea vel ad se Magnetis instar adtrahant, vel alterando hebetent atque extinguant. vide omninò Rudolphum Goclenium Iuniorem *tractatu de peste, fol. 177. &c.* Insuper, ut in morbis haud rarò interveniunt Dæmonum præstigiæ: indeq; nonnulli ferraméta, clavos, capillos evomunt &c. Iohannes Langius, *epistol. Medicinal. lib. 1. epistol.* 38. Sic & naturalia

quædam

quædam etiam ijs resistere ferè asserere ausim. Profiteturq; Hieronymus Cardanus, *in Encomio Medicinæ, quod iunctũ est eiusdem artis parvæ tom. 1. fol.* 651. Vim etiam in Dæmones inesse Medicæ arti, & Dæmonas morbos esse, sed occultioris cujusdam naturæ: at item eos, qui Dæmones propellere nituntur, id non sine sulphure, vitis albæ aquâ, aliisque ejusmodi acrioribus & efficacioribus pharmacis tentare. Sic spectra lemuresque abigere Hypericum, seu perforatum ajunt, si domo ijs infestæ inferatur. Sortilegos morbos, in brutis & hominibus, persicaria curat: si frigidâ madefacta, imponatur ægro membro, ac pòst terræ mandetur, &c. adde tractatum Bartholomæi Karrichteri, von heylung der zäuberischen schäden. &c. Unguentum porr armarium, seu hoplochrisma (quod & unguentum Sympatheticum seu stellatum, unguentum item Martis, ac etiam Herculeum; vulgò Waffen oder Wundsalben nominatur) naturaliter, non superstitiosè, vulnera curare videtur: secus ac Libavius putavit, *in tractatu singulari de impostoria vulnerum per unguentum armarium sanatione*, cum quo etiam consentit Martinus Biermannus, *apud Iacobum Martini, Disputationum Miscellanearum, lib. 3. Disput. 11. quæ est de Magicis actionibus, thes. 60. & seqq.* Compositio hujus unguenti, traditur in Medullâ destillatoriâ, Cunradi Kunrath *part. 2. cap. ult.* eam etiam habet Johannes Kornthaner, *in tractatu* von der Pest/ *fol. 2.* Osvvaldus Crollius, *in Basilica Chymica. fol. mihi* 278. Ejus autem mirabilis virtus, obscura vel incredibilis non potest esse ei, cui sanguinis natura, visque magnetica & harmonica, atque συμπάθεια non est ignota. vide Rudolphum Goclenium Iuniorem *in dict. tract. singul. de Magnetica vulnerum curatione. Eundemq; in Synarthrosi magnetica, contra Iohannem Robertum è Societate Iesu, passim, ac præsertim fol. 216. &c.* eleganter item, & perspicuè causam hujus remedii prodit Theophrastus, *in tractatu de Perficaria.* Henricus Petræus, *part. 2. Nosologiæ Harmonicæ Disput. 48. corollar.* 10. Iohannes Ernestus Burggravius, *in Achille Panoplo, passim ac præsertim fol. 84. & addi potest Biolychnium eiusdem, per totum.* Fit nempè ea cura, propter conjunctionem astralem, & elementalem: ac tria sunt, quæ causantur per hoc unguentum, tàm mirabilem effectum; Sympathia naturæ, influentia cœlestium corporum, perficiens suas operationes per elementa, & balsamum, quod sanandi præditum virtute, homini cuilibet naturaliter inditum est. Spiritus mundi universalis, penetrans cuncta, spiritum animalem in mumiâ coagulatum, & spiritum sanguinis unit atque conjungit. Certè adhuc multis aliis experimentis constat, remanere sensum, absente aut consumpto sentiente, undè decisum fuit; quin & multiplicatur, & alia in se convertit. Thomas Campanell. *lib. 4. de sensu rerum, cap. 11.* ubi virum Neapolitanum,

politanum, cui amputatus fuerat naſus, mancipium emiſſe promittendo illi libertatem, ſi ſineret naſum reſici ſibi, ex carne brachii illius; ſecundum Tropienſium Chirurgiam, quæ quadraginta diebus hoc opus complet. Refectum eſſe naſum, ſervumque liberatum; ſed poſt tres annos, mortuum fuiſſe conſueto morbo; & ſimul particulam naſi languere cœpiſſe, mortuam & computruiſſe tempore, ac ordine quo ſervus. Eſt & adhuc cura verè miraculoſa ſeu divina: cujus mentionem facit Beatus Iacobus, *in Epiſtola ſua*, per olei inunctionem, & orationem. Ita Iohannes Monachus, benedicens oleum dabat, ex quo peruncti, ſani fierent, quacunque infirmitate tenerentur. Oleo ab Hilarione Benedicto, univerſi agricolæ atque paſtores tangentes ſerpentum vulnera, certam ſalutem reſumebant. Eugenia, cùm mulierem diuturnâ quartanâ vexatam, oleo perunxiſſet; omnem ea continuò violentiam fellis evomit, & ſaniſſima reddita, pedibus ad ſuum diverſorium properavit. Ac ubivis in vitis patrum, hiſtoriaque ſanctâ, tàm antiquorum, quàm recentiorum exempla talia occurrunt. Quæ ſi quis, ut vulgò fit, conficta omnia putat; hunc ego prono tramite ad Atheiſmum properare credo. Malo autem ego ſuperſtitioſus haberi, quàm vel minimùm ad Atheiſmum inclinare.

VII. Anne autem Empirici ſunt ferendi? Qui ſcilicet ad perfectam Medicinæ cognitionem, experientiam duntaxat ſatis eſſe reputant; arbitrantes, nil rationalem diſciplinam ad Medicinam pertinere: & inter quos ex Latinis etiam referunt Celſum, ac Plinium ſecundum, qui ex ipsâ profeſſione ſeſe Empiricos adpellarunt; evidenteſque cauſſas, ut neceſſarias tantummodò amplectentes: contra quos diſputat Rodericus à Caſtro, *lib.* 1. *Medico-politici, cap.* 4. Sanè quia ſaluberrimam Medicam artem, ut alias res, hæc quoque corruptela invaſit, ut plurimi ejus ſcientiam & exercitium ſibi vindicarent, & periculosè in vitam ac fortunas hominum graſſarentur: ſtudioſè ideò falſi Medici à veris ſunt diſtinguendi; Nullius artis tot artifices ſunt, quàm illius: etenim præter aniculas cernere licet errones, circumforaneos, agyrtas, circulatores, impoſtores, Eccleſiæ miniſtros, Iudæos, & alios omnes tamen ἀπαίδευτους, & veræ artis prorſus ignaros. Ac licet tempore Plinii ſecundi, nondum circa hæc aliquid fuerit ordinatum, in eaque artium ſolâ eveniret, ut cuique Medicum ſe profeſſo crederetur, nullaque eſſet lex, quæ puniret inſcitiam capitalem, nullumque vindictæ extaret exemplum. Plinius *hiſtor. natural. lib* 29. *cap.* 1. Cautius tamen poſteriores Imperatores Medicis his ſaltem immunitatem dederunt, qui præter domeſticum & umbratile ſtudium, ſanitatis hominibus reddendæ cauſsâ, urbem circumeunt; & indè περιοδεύται appellantur: quique decreto ordini probati ſint,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [74] - 72

ti sint, & intra statutum numerum continentur, *l.* 7. §. *Grammatici, ff. de excusat. tutor. l.* 5. 6. *C. de profess. & Medic. lib.* 10. *l.* 1. *ff. de decret. ab ordin. faciend.* Et valet hæc cautio plurimùm in ejus controversiæ dijudicatione; An Medico eventus mortalitatis debeat imputari? vide Heigium *part.* 2. *quæst.* 26. *per discurs.* ubi scilicet dispicitur cumprimis, an Medicus limites excedat suæ professionis, & an sit peritus in arte? Et imperitia hîc culpæ adnumeratur, *l.* 7. §. *ult. ff. de offic. præsid. l.* 27. §. *si calicem ff. ad Leg. Aquil.* nemoque affectare debet, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii periculosam fore. Adeò ut extraordinaria quædam pœna locum habere queat, cùm imperitiâ & negligentiâ Medicus peccat. Heigius *dict. loc. n.* 56. Sicque in Regno Neapolitano, Medicus qui absque licentiâ officialium Regiorum, & absque discussione ac Doctoratu medetur, publicatione bonorum puniri solet: ac item ille, qui conficit medicinas, absque juratorum interventu Carrer. *in pract. tit. de homicid.* §. *qui autem, num.* 25. 26. *fol. mihi* 233. §. *sequitur, num.* 6. *fol.* 235. Hisque & Paracelsistæ vulgares adnumerandi; & qualis fuit ille, cujus mentionem facit Rod. Botereius, *lib.* 1. *commentar. fol. mihi* 74. quique Anno Christi 1594. Cardinali Borbonio, jam conclamato, salutem pollicebatur, si curandus traderetur; eâ lege, ut si non mederetur, pro præmio ultimas pœnas sponte lueret. Veruntamen Empiricos ferendos esse nego; si ij rectè definantur: in eorum enim classem, minimè aggregare possum eos; qui ex Astrali inclinatione, vel experientiâ edocti, arcana naturæ sciunt, nec in scholis ea didicerunt. Malo sanè empirici, quàm Medici talis operâ uti; qui nil nisi logicas, & methaphysicas novit subtilitates. Laudabiliorque mihi Zenon, quàm Magnus esse videtur: quorum illum Eunapius, & docuisse, & factitâsse Medicinam scribit; hunc verò plus dicendo, quàm arte polluisse: ita ut curatos ab aliis, verbis & quæstiunculis objectis demonstraret adhuc morbo teneri. Chymiatros certè, Hermeticæque philosophiæ studiosos, maxumè rationales, & dogmaticos esse puto; quicquid in contrarium scribat Rodericus à Castro, *in Medico-politico lib.* 1. *cap.* 6. ac licet etiam contra Paracelsistas, extet parlamenti Parisiensis Arrestum, apud Ludovicum Servin, *tom* 4. *des plaidoyes, cap.* 25. cùm enim Anno Christi 1603. in facultate Medicâ deliberaretur, de consiliis Medicis non ineundis cum Spagyricis, Empiricis, & aliis, à facultate non probatis; M. Petro Paulmier, ordine sententiam dicenti, excidit ut diceret, se consilia medica frequenter inisse cum Quercetano Spagyrico, viro suo quidem judicio docto, & putare, Spagyricam non esse repudiandam, sed valdè Medicinæ utilem. Tunc utrumque ab omnibus & singulis improbatum fuit. Edidit etiam M. Petrus Palmarius, mo-

dò dictus, libellum, cui titulum fecit Lapis Philosophicus Dogmaticorum; quem Collegium Medicorum in Academiâ Parisiensi, erroribus, fraudibus, impostoris, & mendaciis plenum damnavit: statuitque ut Palmarius intrà sex menses ejusmodi errores &c. scripto publico agnoscat & abjuret; profiteatúrque se in Hippocratis, Galenique doctrinâ, & Scholæ Parisiensis disciplinâ, constanter permansurum. Quæ cuncta Parlamentum Parisiense adprobavit. At si vanitas & abusus vitentur, putarem, fovendum maxumè esse eos, qui Chymiam jungunt vulgari Medicinæ. Hoc asserto auctoritate Medici cùm primis nostri seculi præclari Dn. Raimundi Mindereri, qui *in tractatu de Calcantho, passim*, in eos invehitur Galenistas; qui Spagyricam artem, Hippocraticam & Galenicam doctrinam perficientem, ac consummatam magis reddentem; studiosè, si non malitiosè, satagunt obscurare, & oppugnare nituntur: indeque ejus nitorem, toti mundo conspicuum, sine vel ratione, vel fundamento, contra plenam veritatem in summam mortalium noxam, & totius generis humani grave detrimentum invidè fuscare sibimet præsumunt. Conqueritur item ille idem: Hærere medicinam nunc temporis totam in cathedris, Gymnasiis, ac Academiarum porticibus; totam scientiam, ferè sine factorum certitudine comprehendentibus; esseque solo philosophico discursu, generali quadam areâ, concluſam artis sollemnitatem, nec in particularem usum duci, quæ ratio universalis, attamen confusa, invenisse videtur, &c. Habet pariter pro Paracelso, contra methodum medendi Italicam, multa; Johannes Albertus Wimpinæus *in tractatu de concordiâ Hippocraticorum, & Paracelsistarum*, eamque nil ad graviores, obscurioresq; morbos depellendos valere, demonstrativè probat. Et Johannes Hartmannus, singulari Oratione, *quæ titulum habet, Philosophus, sive Naturæ consultus Medicus, & præfixa est eiusdem Disputationibus Chymico Medicis*, evincit: auxilia Medica eorumque genuinum præparandi modum, à Paracelso & Chymicis, curandi verò Methodum, indicationum, inventionumque momento constantem, ab Hippocrate, recentioribusque probatæ fidei, & experientiæ Medicis, repetendam esse. Nullum verum, legitimumque sanandi modum assecuturum, ni Hippocratis & Paracelsi simul fuerit legitimus heres; níque veterem illam cum nova conjunxerit medicinam. Sicque idem Hartmannus, *Disput. 8. quæst. 4.* probat, Medicinam Chymiâ carere non posse: licet ferè id negare videatur Johannes Langius, *lib. 1. epistol. medicinal. 53.* ubi de destillatione agit. Et quoque Sebastianus Mayer, *in Sylloge 1. selector. Physicor. &c. sect. 3. cap. 9. fol. 175.* scribit: Galenicos, nec Chemicos, nec præparationes eorum, consentaneas rationi, accusari: hæc tantùm, quæ natura muscuit, & sub mixtione hac, integra usurpata experientia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [76] - 74

rientia utilia comprobavit, temerè ab invicem non separanda esse; præsertim quando omnes ad usum medicum conspirant. Sed & his responderi facillimè potest, & non consistit Spagyrica solùm in simplici destillatione. Verùm ne ultrà crepidam videar judicare, subjungere lubet Amplissimi Dn. Rutgeri Rulandi, Fautoris mei colendi censuram, qui *in tractatu de Commissariis lib. 4. cap. 15.* hac eadem de re sic scribit: non ideò Paracelsistas removendos esse, quando Medicorum operâ & judicio Commissarius opus habet; quòd ipsimet præparant medicamenta: si modò habeant gradum, eisque nulla culpa in quenquam commissa possit imputari. Plura non addo, quia frustrà curatur pertinacia Galenistarum, vel ipsorum Prophetâ teste; qui *lib. 1. de cognitione & curâ passionum animi*, ita scribit: Nulla tinctura adeò ineluibilis est, ut ad falsa, citra rationis judicium dogmata, animi affectio; quæ in his educatis dissuaderi non poterit. Et idem *in principio lib. 8. de compositione Medicamentorum secundum locos*; Falsæ opiniones, animas hominum insidentes, eos non modò efficiunt surdos, sed & cœcos.

VIII. Sed pro conjunctione veteris & novæ Medicinæ propugnatum hactenus fuit. Altioris est, meumque captum transcendentis indagationis: An ex Hermeticâ Philosophiâ tota Medicina sit reformanda? An principia Chymica adprobanda? &c. Quâ de re operosè agit Crollius, *in præfatione prolixâ & eleganti*, Basilicis suis præmissâ: ac pariter præ aliis fundamenta novæ illius Medicinæ dilucidè proponit, Petrus Severinus Danus, in Idæa Medicinæ. Et item hîc disputandum esset de medicina universali, ac an ea detur? Quod negat Henricus Petræus, *in Dissertatione, quæ præcedit eiusdem Nosologiæ partem secundam*, Et nilominus tamen mysteria naturæ, non nisi per Chymiam aperiri, persuasum multis est. Per eam doceri possibilitatem ipsius resurrectionis, resurgentiumque corporum naturam ac dotes declarari, Paulus Ricius ait, *lib. 1. de cœlesti agricultura, fol. mihi* 54. sunt & qui putant; Moysen, ut reliquis Aegyptiorum disciplinis, sic & Chymiâ fuisse instructum: eò quòd aureum vitulum (quem Aegyptiâ superstitione inquinati Israelitæ in deserto coluerunt. vid. Jan. Selden *de Dijs Syris Syntagm. 1. cap. 4.*) πότιμον reddiderit. *Exod. 32. vers.* 20. Imò Prophetas & Apostolos ipsos, Chymiæ non ignaros extitisse, asserere audet David Mederus, *in Iudicio Theologico, de F. R. C. à princ.* sic refert Esaiam, Hiskiam Regem, peste infectum sanasse emplastro ficuum maceratarum, vel chymicè præparatarum; ex massâ ficuum scilicet aridarum, in suo menstruo chymico natantium, confecto. Chymicâ item phrasi uti Regium Psaltem; cùm comparat De I verbum, argento probato, repurgato in catino terreo, septiesque depurato. Ac pariter Beatum Johannem in Apoca-

lypsi, *cap.* 21. *vers.* 21. ubi facit mentionem auri puri, ut vitrum pellucidum splendentis, huncque artem metallicam transmutatoriam exercuisse, Vincentius in speculo naturali scribit. Sed absurda magis adhuc Chymica imaginatione dementati, comminiscuntur: Ego animi gratiâ tantùm hæc adscribo, judicium & censuram aliis committo.

IX. Sed adhuc aliquid de Paracelso addam. De eo, Conradus Gesnerus, *lib.* 1. *epist.* 1. ad Cratonem ita scribit: Theophrastus certè impius homo, & magus fuit, ac cum Dæmonibus communicavit. Basileæ Medicus est (Adamus von Bodenstein) Carolostadii Theologi defuncti filius, planè Theophrasteus. Video plerosque hujus farinæ homines, Arrianos esse, Christique divinitatem negare. Idem Gesnerus, *lib.* 3. *epistol. ad Didymum Obrechtum, fol. mihi* 114. *b.* Mitto, ait, Libellum Paracelsi, recens excusum; in quo si pleraque fortè tibi displiceant, pleraque etiam ita sint obscura, ut Oedipo habeant opus: erunt tamen aliqua fortè, quæ placeant, aut saltem quæ admireris. Fuit is Paracelsus nostrâ memoriâ Magus, admirabilis homo, notus amicis quibusdam meis; à vicinis nostris Helvetiis oriundus: pervagatus magnam orbis partem. Chymicâ arte, quam ipse puto Spagyricam vocat, excellentissimus omnium: ita ut per eam metalla immutaret, argentum ac aurum faceret; & morbos inveteratos, ac aliis omnibus Medicis incurabiles, brevi, & facilè curaret. In vitâ Oporini, quam conscripsit Andreas Jocisçus, sequentia de Paracelso inveniuntur. Venit Basileam Theophrastus, sub initium Evangelii repurgati, ac religionis nomine ab Oecolampadio susceptus, Magistratuique commendatus fuit. Dissipata tùm planè Academia erat, & Professores partim ejecti, partim suâ sponte cesserant urbe. Facilè igitur auxilio Oecolampadii, medicam obtinuit professionem. Consilium Oecolampadii sequutus Oporinus, Theophrasto se adjunxit, & quàm diu Basileæ fuit, ab ejus consuetudine nunquam discessit: imò etiam domestico ejus usus consortio, operam ipsi suam, famuli & Amanuensis officio functus locabat; sperans se vel hac officiosâ diligentiâ, perfectam artis cognitionem, quam Doctor iste, plenis crepabat buccis, consequuturum. Theophrastum itaque magnâ primò cum admiratione, & numerosâ sectatorum, etiam eorum, qui sapientiæ & eruditionis eâ in arte eximiæ, laude celebres erant, frequentiâ, docentem Oporinus diligenter audivit: & quæ à Theophrasto Germanicè dicebantur, Latinè diligenter excepit. Latinæ quidem linguæ cognitionem Theophrastus habebat, ut sæpè Oporinus affirmabat, perexiguam; memoriâ tamen adeò felici præditus erat, ut integra Galeni loca, memoriter & expeditè recitaret. Ea quæ ex materno sermone convertisset Oporinus, vel non intellecta dictando, omnia Theophrastus adprobabat.

Quod

Quod quidem Oporinum dubium sæpè fecit, ut impostura aliquid subesse, ex tàm prompto assensu suspicaretur. Egressus, cum suis discipulis, ut herbas colligerent, si qua occurreret planta, cujus nomen ignorabat, eam non in usu esse dicebat. Cùm Theophrastus contra placita reliquorum Medicorum, assereret hominis temperiem non nisi ex urinâ alcali (hoc est, si quis per triduum, omni cibo & potu abstinuisset) cognosci posse; Oporinus seipsum triduo maceravit, & exiguum quid in phialâ Theophrasto adferens, judicium Doctoris sui requisivit. At ille ridens, & stultum eum, qui tàm facilè obtemperasset, vocans, phialam parieti allisit. Solebat Theophrastus vino madidus, noctu stricto gladio per dimidium ferè horæ, cum larvis depugnare: non absque Oporini, qui eodem in conclavi, cubiculari suo lecto latebat, magno periculo & metu. Indè Oporinum ad dictata excipienda excitabat, quæ tàm expeditè recitabantur, ut Dæmonum instinctu, ea suggeri, Oporinus se putasse sæpè affirmaret. Hoc statu & his moribus, biennium ferè Basileæ Theophrastus vixit: quo quidem tempore, ita artem suam probavit, ut propter summam felicitatem, in desperatis morbis curandis, in magnâ esset admiratione. Erat ibi Canonicus quidam nobilis, valetudinis deploratæ; eum Theophrastus, pactus precium centum florenorum, tribus pillulis Laudani sui, salivâ subacti, feliciter restituit. Tàm brevi spacio, & quidem re, ut videbatur, exili, sanatus Canonicus, pactis non stetit. In jus itaque ambulat Theophrastus; ubi cùm solita & à Magistratu ordinata ac præscripta solutio decerneretur; Theophrastus tàm vile precium suæ arti statui ægrè ferens, importunius in prætorem est invectus, ita ut læsi Magistratus pœna metueretur. Itaque in Alsatiam descendit &c. promiserat Theophrastus Laudani conficiendi rationem Oporino se traditurum, quâ spe pellectus eum in Alsatiam est comitatus, & biennium adhuc, hominis importunitatem tulit. Tandem impetraturum se à Magistro suo, quod cupiebat, diffidens, eum deseruit. Accelerabat abitum, impietas Theophrasti. Vocatus enim à rustico ægro; cùm Eucharistiâ usum intelligeret: suæ arti jam non locum esse apud illum, qui alium auxiliatorem quæsivisset, ajebat. Extant scripta Theophrasti; quibus adprobat Magiam, & hominem pium, Dæmonis, ut latronis operâ uti posse, asserit. Et supereſt adhuc Basileæ, Doctor Wolfius Wisenburgius, qui in publicâ lectione, affirmanti (si Dei deficit auxilium, Diaboli succedat) contradixit: sed multis ab eo calumniis oneratus, furori hominis cessit. Et hæc quidem caussâ discessus Oporini à Theophrasto fuit: quo relicto, rediit Basileam, Laudani portione priùs ab illo acceptâ; quâ etiam, veluti virgulâ divinâ, non multò pòst servatus fuit. Sumpto enim purgandi caussâ, Mercurio præcipitato, rixa

cum uxore ortâ, noctu domo egressus, ad patrem contendit. Haustâ in viâ, aquâ copiosiore; & quia pulsandis ædibus, patri dormienti molestus esse nollet, ad fores assidens, frigore oborto, toto corpore, capite inprimis ita intumuit, ut de vitâ Medici desperarent. Dum ita aliquandiu decumberet, & quodam die, solus in lecto esset, recordatus Oporinus Laudani, ad peram, quâ continebatur, arrepsit, ac tres pillulas devoravit: ibi somno consequuto, reversâ è concione uxore, quæ mortuum se inventurum sperabat, tumore sublato, incolumis evasit. Magno profectò ingenio fuisse Theophrastum, medicamenti hujus præsentissimi præstantia demonstrat. &c. Hactenus Jocisçus. Sed scribit tamen Michael Toxites, *in Onomastico 2. Paracelsi, verb. Laudanum*, liberalius multò Jocisçum *in sua oratione* de Paracelso recitasse, quædam etiam falsa posuisse. Verùm de Paracelso multa habet Melchior Adamus, *in vitis Germanorum Medicorum, fol.* 28. Eumque verè plumbum & argentum vivum in aurum transformasse, ex Michaelis Neandri, descriptione Orbis terræ, *part.* 1. *G.* 8. *& seqq.* adparet, ubi narratio de Theophrasto memorabilis habetur, cujus generis simile nil hactenus proditum etiam ab iis est; qui in Theophrasto evehendo, suprà Philosophos atque Medicos omnium ætatum atque temporum, toti sunt atque occupati.

X. Sunt tandem qui putant, vel sæviores hodiè morbos, vel minùs valida esse medicamenta. Namque si quis Græcorum Latinorumque vetustioribus medicinis, curare morbos nunc velit; in cassum ut puto, laboraret. Vide quæso, quàm levia media pesti adhibeat Celsus? Arabes remedia magis apta invenerunt: & certè ea quoque fastidio sunt, ac non satis apta; ideoque Chymicè præparata expetuntur. Disputari item solet; num morbi novi generentur, & veteres soleant interire? Ac refert ejusmodi multos morbos, noviter generatos, incognitos Medicis, & qui ne nunc homines infestant, Estienne Pasquier 4. *des recherch. cap.* 25. Sic autumant nonnulli, nunc silere lepram minusque esse leprosorum, dum viget & furit Venerea lues: indeque videmus, uberem passim proventum leprosis olim piè dicatum, & leprosoria multa, vacua magnam partem. Sebastianus Roulliard *au grand aulmosnier de France, fol. mihi* 273. qui caussam, cur magis olim sævierit lepra, assignat multitudini Judæorum, huic morbo maxumè obnoxiorum. Sed tamen lepra Judæorum, non fuit ea, quàm Medici olim & nos hodiè agnoscimus: quâ de re diligenter disputat Isaacius Pontanus, *in descriptione urbis Amstelodamensis, lib.* 2. *cap.* 3. Sanè omnes inter gentes, hujusmodi affectu vexatos præcipuè Judæos, etiam prophani aliquot auctores prodiderunt; licet fabulis ac figmentis corruperint genuinam rei veritatem. Tacitus quippè *lib.* 5. *histor.* sue Judæos abstinere ait, memoriâ cladis,

cladis, quodque ipsos turpaverat scabies quondam; cui id animal obnoxium existit. Et certè sues toto corpore effici grandinosas, das sie Pfinnig werden/ nemini non constat. & Levinus Lemnius etiam morbum hunc, vulgari lepræ, seu Lazarismo affinem esse censet, *l. de occult. natur. miracul. cap. 7.* Ac licet etiam Judæorum lepram, quidam cum Græcorum Leuce, seu vitiligine albâ confundant: eò quòd & in Judaicâ leprâ, cutem albam fuisse, constet, *Levitic. 13. num. 12. vèrs. 10. 2. Reg. 5. vers. 27.* Et tamen vitiliginem, sanguinis vitium esse, Medici uno animo ajunt: Judæorum autem lepra, exanguia etiam corpora invasit. *Levit. 13. vers. 47. &c.* quin etiam ipsos parietes, & integras ædes, infecit, *Levit. 14. vers. 30. &c.* eáque domus, immundæ atque inutiles ad habitandum à Sacerdote judicatæ, deserebantur. Præterea Judaica lepra non semper albo sese colore in hominis corpore prodebat, sed interdum quoque adparuit subrubra: *Levit. 13. vers. 18. 24. & 42.* contrà in leuce Græcorum, Latinorumque vitiligine albâ, color perpetuò albidus fuit. Denique Paulus Aegineta *lib. 4. c. 5.* testatur; vitiliginem, quæ plures corporis occupaverat partes, magis periculosam esse, quàm quæ paucas: contrà verò se habebat Judæorum lepra; nam ea, in omnem cutem, ubi se diffudisset, universumque à capite ad pedes contexisset, homo mundus judicabatur; sin iterum adpareret caro viva, immundus reputabatur, *Levit. cap. 13. vers. 12. &c.* Adeò, ut videatur lepram Judæorum, legali cumprimis ac ceremoniali contagio, quod spiritualem respectum haberet, alios polluisse, singulareque flagellum Dei extitisse, Henricus Petræus *part. 2. Nosolog. Disp. 45. thes. 25.* Sed aliter philosophatur Campanella, *lib. 4. cap. 12. de sensu rerum.* Etenim ex Mosaica lepræ lege, probare conatur; sensum affectumque communicari, & multiplicari in dissimilimas atque distantes maxumè res. Videri item potest Franciscus Valesius *cap. 19. & seq. Philosophiæ sacræ.*

CAPUT II.

De peste, ejusq; fugâ, & politicâ curatione.

ELucescit & politica prudentia, tempore morborum contagiosorum, seu Epidemicorum; & nempè in his tàm præcavendis, quàm depellendis, & mitigandis. Eoque fine, nonnullis in locis, Magistratus aliquis existit singularis, cui cura sanitatis publicæ commissa siet. Etenim electâ congruâ regione, & ædificatâ civitate; convenit illam omni puritate & claritate ornatam retinere, omni sorditie, & immunditiâ vacuam conservare, ne sordibus ac fæcibus aëris tranquillitas inficiatur, & pestes, febres,

febres, gravesque infirmitates indè oriantur. Maximoperè itaque providendum est, à Magistratibus per edicta, ut semper civitas & locus, cui præsunt, nitidus ac mundus servetur, & viæ sordibus non putrescant. Hincque prætor edicto cavit, ut cloacæ purgentur, ac reficiantur, quorum utrumque ad salubritatem civitatum, & tutelam spectat, *l* 1. §. 1. *ff. de cloac. l. fin. §. si stercus off. quod vi aut clàm*, Cæpolla, *de servitut. rustic. prædior. cap.* 43. Idcircò cloacæ & sterquilinia, de nocte purganda sunt, ne, fœtor aut malus odor officiat vicinis; quibus actio in factum competit contra vicinum, fœtorem, ac malum odorem immittentem in viam, vel publicum locum, *l.* 2. §. *Idem ait. si odore, ff. ne quid in loc. public.* Cæpolla *de servitut. urbanor. prædior. cap.* 48. *&* 55. Ripa *de peste, part. ult. tit. de remed. præserv. n.* 64. *&c.* In locum & viam publicam projici urinæ ac res fœtidæ minimè possunt; & ad Aediles Curules hoc onus spectabat, ut illa emundarentur, *l. ædiles, ff. de via public.* Cæpolla *de servitut. urbanor. prædior. cap.* 78. *in fin.* Fieri item prohibitio potest, ut lanii & accommodantes pelles, similesque alii, non suam exerceant artem, nisi in extrema civitatis parte; ad aëris salubritatem conservandam, Camillus Borrellus *de Magistratuum edictu, lib.* 3. *cap.* 12. *per discurs.*

II. Inter temporales legis maledictiones, præcipuæ sunt, Bellum, Fames, pestis. *Deuteron.* 27. Hæque pœnæ non fortuitò sanè, aut mundi tantùm, aërisve malitiâ evenire solent; sed sunt flagella Dei, quibus publica peccata punit. Sicque Davidi ob peccatum, cujus jam antè culpa remissa erat, optio datur à Deo; ut eligat pestem triduanam, bellum trimestre, aut famem triennalem. Sed elegit David pestem, ut minùs malam. Est ea namque manus Dei, & plaga ejus immediata: præstat autem incidere in Dei, quàm in hominum manus; quia Dei miserationes sunt infinitæ. Pareus, *exercit. Theologic. lib.* 2. *exercit.* 45. pestis infligitur à Deo: inde manus, gladius, sagitta Dei in Sacris litteris ea indigitatur. Et infligitur per causas secundas, Angelos bonos & malos; ac item per causas naturales, positus ac conjunctiones astrorum, meteora, ventos, eluviones, putredines, &c. Sed tamen dirigitur manu Dei ut non sæviat absque ratione, nec diutiùs quàm vult Deus. Eâ insuper pii quoque corripiuntur: quemadmodum & aliis temporalibus malis obnoxii sunt. *Ecclesiastæ* 2. *vers.* 14. *& cap.* 8. *vers.* 14. Intrà unam domum, inquit Beatus Cyprianus, *ad Demetr.* boni & mali interim continemur. Quidquid intrà domum evenerit, pari fortunâ perpetimur; donec ævi temporalis fine completo, ad æternæ, vel mortis vel mortalitatis hospitia dividamur. Et idem *alicubi*: Omnium valetudo membrorum, cum cæteris communis est nobis, quandiu portatur in seculo caro ista communis. &c. Est quidem pestis, una ex maledictionibus impiorum, *Levitic.* 26. *Deuteron.*

Deuteron.28.Ezech.14.&c. Sed ei non ut maledictioni obnoxii sunt probi: sed quatenus est παιδεία, & δοκιμασία, quales sunt cunctæ piorum afflictiones, *Psalm.89.* At verò licet originaliter pestis proveniat à Deo, nec etiam noceat piis, non tamen impedit, quò minùs dicamus, eam remediis politicis ac naturalibus (præcedentibus omninò, quæ ipsum Deum placare, fontemque pœnæ obturare solent) avertere, vel mitigare; non posse nos solùm, sed & licere; nemini obscurum esse videtur. Licet enim caussæ omnes, positæ sint in Dei potestate; nec quòd multi epidemicis intereunt morbis, multi etiam inter media cadavera servantur; hoc in solam analogiam patientium atque agentium causarum, referri debet: ut Athei facere solent: non tamen propterea contemni caussæ obviæ atque præsentes; aut negligi remedia debent. Custodit enim ac servat Deus alios absque mediis, alios per media ordininata: & ideò mediis omnes uti vult, sicut cibo atque potu. Porrò & politico causæ pestis cognoscendæ sunt; eaque naturali ratione, quatuor de caussis contingunt; quæ omnes etiam corrigi naturaliter aliquo modo queunt: vitio nempè aquæ, aeris, cibi, & contagio. Vitio aeris & aquæ, pestem contingere, Hippocrates novit. Et refert quorundam fide Cardanus, *lib.8.de rer. variet. ad fin.* tàm vehementem fuisse putredinem in aëre quandoque, ut panis recens, per noctem aëri expositus, mucidus evaserit. Ab aqua, tàm pernitiosa esse nequit, quòd excoquatur, quòd vino liceat uti. Eam verò, quæ alimentorum vitio contingit, fami succedere, fermè necessarium videtur. Ac post famem, ferè consequi solere pestem, Plutarchus notat, non uno loco: *in Demetr. num. mihi 15. & in Anton. num.* 10. refertque idem, pestem talem, milites quondam Cæsarianos, in Thessaliâ, vino & lætitiâ abegisse, *in Cæsar. num.* 12. Et contagio eam contrahi qui negat; negat quod experientia quotidiana testatur: licet hoc faciant Medici nonnulli. vid. Hieron. Perlini, *declamat adverss. morbor. contagionem, &c.* Sed malè Quercetanus *de peste, cap.2. fol. mihi 22. &c. lib.1.* Refert etiam Capitolinus, *in vitâ Veri Imperatoris*, ex arculâ aureâ, quam miles fortè inciderat, spiritum pestilentem evasisse, & multorum hominum stragem procurâsse: & forsan ibidem Magicis artibus inclusus ille erat. Sunt & contagionum signa; quorum alia prænuntia sunt futurarum; alia præsentes monstrant: quæ Fracastorius congessit, *de contag. lib.1. cap.3.* Ac quòd pauci in hoc morbo servantur, nil ferè in caussâ esse (si divinam iram ob peccata excipias) Guil. Gratarolus *in descript. pestis, junctâ eiusdem tract. de vini naturâ, fol. mihi* 883. scribit; quàm hominum negligentia, stupiditas, medicamentorum & Medicorum bonorum contemptus, ægrotantium custodia mala, in regimine victus, corporum intemperantia, vel res angusta domi; aut

quòd pauciſſimis velint Medici adeſſe, ſibi ipſis à periculo caventes. Medica remedia, tàm curantia, quàm præſervantia non attingo, cùm de ijs alii egerint ex profeſſo. Sed & hæc politica remedia hîc non ſunt negligenda, de ijsque latè agit David Herlicius, in Conſilio Politico-phyſico, Was ein Statt zu beſorgender Peſtzeit in der Gaſſen vnd Straſſen/ wie auch in offentlichen vnd privat Häuſſern/fürnemmen ſolle. ac. ac conſule etiam de officio Magiſtratus tempore peſtis, Joh. Colerum, *in Oeconom. ſive* im Hanß Buch *lib.* 19. *cap.* 6. Hippol. Guarimonij Peſtilentz Guardien. adde etiam Joſephum Quercetanum, *in tract. de peſte paſſim, ac præſertim lib.* 2. *cap.* 1. Dn. Adam. Keller, *piæ memoriæ de offic. Iuridico polit. lib.* 2. *cap.* 21. Everhard. Speckhan, *cent.* 1. *quæſt.* 10. Et quidem Noſocomia primò omnium fieri; ac ſi plura ſint, ea à ſe invicem diſtare debent; ne contagium unius, ad aliud traducatur. Habenda eſt in ipſis diſtinctio talis; ut in unâ ejus parte ij contineantur, qui absque dubio fuerint peſte affecti; alia ejusdem pars deſerviat ijs, quibus aut glandulæ citra febrem ſunt, aut ſuſpicio eſt exigua morbi peſtilentis; tertia, qui jam liberi evaſerunt. Juvat maxumè in talibus hypocauſtis, unum atque alterum vitreum eximi orbem, ut vapores non coanguſtentur. Concernit etiam politica cura munditiem externam, in plateis, curiis, atque templis. Stercus inprimis ſuillum, propter fœtorem cerebro infenſum, & ſpiritibus ingratum, aptiſſimum infectioni perhibetur: ac propterea ſues & porci eo tempore, in ſuburbiis, commodiùs ſervantur. Major inſuper cura haberi debet, ne reliquiæ & excrementa, quæ ex ulceribus infectorum, Chirurgi inter curandum extraxerunt, in plateas conjiciantur. nam tunc canes, animaliaque alia inficiuntur, labemque illam domi adſportant. Prodeſt vicos, ſaliaque publica loca, convenienti ſuffitu, aut luculento igne, pyrio pulvere, vel etiam campanarum ſonitu, aërem purgari. Sicque Hippocrates, luem illam ex Aethiopia Græcos invadentem, non aliter curavit, quàm aëris mutatione, alteratione que, ne talis ampliùs inſpiraretur. Et igitur ignem per totam Athenarum urbem incendi juſſit; nec ſimplicem materiam lignorum, verùm ſerta floresque ſuaviſſimos, conſuevit alimentum eſſe ignis; unguentaque pinguiſſima, & odorifera ipſis ſuperfundi. Plinius *lib.* 36. *cap.* 27. Galenus *de Theriacâ ad Biſonem cap.* 16. cùm quippe, peſtis ex putredine fiat, nil eidem magis adverſatur, quàm ſal & ignis. Hippol. Guarinonius, In Peſtilentz Guardien / *part.* 1. *c.* 5. & 8. ubi laudat braſſicæ ſalitæ aquam, die Krautſur/ oder Krautwaſſer; ſuadetque ut eâ tingantur veſtes, abluantur manus & facies &c. Si prout alibi fit, peſte infectorum domus concludantur; tunc neceſſe omninò eſt; ut ijs de victu & aliis neceſſariis rebus ſollicitâ curâ proſpiciatur. Videturque ſatis durum, ſanis æquè ac morbidis

morbidis prohiberi domo exire. hoc enim nil aliud ferè est, quàm Mezenzii exemplo, viva corpora mortuis copulare. vide Tilemannum Breuleum, *apud Blaembach. decad. 5. consil. 3.* Personæ satis idoneæ porrò sunt seligendæ, sive ex Ptochodochiis quæ publicis eleemosynis aluntur, vel ex aliis infimæ sortis; qui infectis suâ operâ; studio & curâ succurrant: ne hâc externâ operâ atq; auxilio destituti, penuriâ & curis periisse videantur: quæ res pro homicidii specie rectissimè habetur. Et statuunt quidam Jureconsulti, privandum successione esse eum, qui aliquem derelinquit peste infectum: quâ de re disputat Rauchbar, *lib. 2. quæst. 20.* Sanè ægrotorum, præsertim pauperum cura, quàm sit grata Deo; docet apophtegma Franciſci Tilemanni, Capucini apud Miræum, *in Elogijs Belgarum, fol. mihi 63.* Hic enim dum leprosos curabat, à Discipulis Belgis, Romam fortè, Religionis gratiâ proficiscentibus, officii causâ de via salutatus fuit. Quibus rogantibus: Cur non hîc, pater, ut olim Lovanii, sacras litteras profiteris? Ille ad leprosos eos deducens: Ecce, inquit, ostensis ægrotis, hic meus Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius est. Contemplationem ad actionem revocandam esse, significabat vir pius. Principem supremum etiam, non posse impedire presbyterum à ministerio Sacramentorum tempore pestis: sed tamen eos qui ministrant infectis, posse prohiberi à commercio sanorum; docet D. Marta *tract. de Iurisdict. part. 4. cent. 1. cap. 73.* ubi idem ex B. Thomâ refert; quòd hodiè ad obsequium infectorum, aliqua Religio institui posset. Et indulgentias ijs concessisse Clementem VI. & Gregorium XIII. qui tempore pestis infectis ministrant. Et item vicinorum commercio jure abstineri videtur, si ijdem peste adfligantur. vid. tamen Goldasti Reichshandlungen/ *tom. 1. fol.* 243. ubi eo nomine de Sabaudiæ Duce conqueruntur Genevates. Sed statuunt communiter nostri Doctores, etiam eos excludi posse, de quorum contagio tantummodò dubitatur: ni vel juramento, vel per scripturam, quam Bulletum adpellant, se immunes ab omni contagio esse probent. Speckhan *dict. cent. 1. quæst. 13.* Generatim verò, in curâ politicâ pestis, hoc primùm procurari debet; ut eo morbo correpti, curâ debitâ non destituantur. Nostrâ crudelitate offenditur Deus, & idem placatur misericordiâ nostrâ, quam ægrotis exhibemus. Magis hoc juvat, quàm timida prudentia nostra, unquàm efficere potest. Nemini fuga est concedenda, nisi vectigal aliquod pendat; unde ij, qui manent, vivere possint, ægrotique sustententur. Et indè etiam acerrimè sunt puniendi, qui spoliant peste correptos, Berlichius *tom. 4. Concl. 9. num. 7.* Quique tempore pestis, ædibus illorum, qui peste decumbunt, de more à Magistratu occlusis, mercede ad id publicè conducti, negligunt ægrotos, pœnâ relegationis,

nis, vel aliâ arbitrariâ puniri possunt. Berlichius *ibidem num. 5.* Præterea cadavera peste extinctorum, terrâ probè operienda sunt. Nam quod Rondeletius existimavit; corpora mortuorum, quia amplius non exspirant, nullum venenum ejaculari, jam diu ab omnibus est explosum. Nec aliter sentit prudentissimus Venetus Senatus, qui inter leges tempore pestis observandas, hanc quoque scivit: Designati ad ægrorum visitationes, ægrorum custodes & reliqui ministri aliorum causâ conducti, penitùs non conversentur, comedant aut bibant cum vespillonibus ac libitinariis. Putatur nempè, vespillones à mortuis promptiùs infici, quàm reliquos ministros ab ægrotis. Alibi item vestes, & alia contaminata comburuntur: nec eo nomine communitas Domino ad precium teneri videtur. Speckhan *dict. cent. quæst.* 12.

III. Indagari hîc oportet, Num Christianus, salvâ conscientiâ fugere possit pestem? vide Dn. Andream Osiandrum, Cancellarium quondam Academiæ Tubingensis, *in Dissertatione singulari, de fugâ pestis.* Christophorum Binderum, *in tract. de cauß. pestis.* & cumprimis Dn. Felicem Bidembachium, *decad. 5. consil. 2.* Michaëlem Mulingium, im Pest Regiment. Ludovicum Berum, *in fin. tractat, de præparat. ad mort.* Theodorum Bezam, *in quæst. de pest.* Pareum, *exercit. Theologic. lib. 2. exerc. 48.* Eaque de re Scholastici & Casistæ, ita ratiocinari solent. Sicut ex præcepto divino, nulli licet seipsum, vel etiam alium occidere privatâ auctoritate: ita etiam interdum obligatur homo fugere mortem: ut si quis non fugiendo probabiliter daret absque utilitate, alteri homicidii occasionem: aut si talis hominis vita, Reipublicæ plurimùm utilis foret. Sicque B. Paulus à Damasco fugit, *Actor. 9.* Cumque Judæi Christum lapidare vellent, absconditis se, & exivit de templo. *Ioh. 8.* Insuper homo liber, oneri non adstrictus, præsentiam ejus postulanti, etiamsi nõ teneatur fugere mortem, probabiliter imminentem, ex aliquo divino flagello; ut sunt pestilentia, fames, &c. licitè tamen fugâ vitam salvare potest: dummodo ejus fuga non in grave scandalum cedat, proximique periculum aut jacturam; ac item bonâ fugiat intentione. Nihilominùs in tali casu, homini sic libero, ut dixi, licet vicissim, bonâ intentione non fugere ejusmodi flagellum Dei, minitans mortem: ut si cogitet, sibi illud flagellum non certò ad mortem esse; cùm non omnes in pestilenti loco permanentes intereant eo morbo; sicut non õmnes indè fugientes, incolumes manent: in promptu esse pharmaca, multùm efficacia per Dei gratiam ad præservationem. Quæ etiamsi non haberentur, velle tamen se committere beneplacito divino. vel si quis animo reputet secum, pestilentiam divinum existere flagellum, quod commeruit suis peccatis: ac ideò etiam ad bonum exemplum, & confortationem aliorum, qui commodè

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [86] - 84

modè fugere non possunt, velle in civitate permanere; seque humiliter subdere tali flagello, secundum divinam voluntatem. Intendat tamen, propter divinum præceptum, se nolle sibi esse causam, nec ex intentione mortis occasionem: sed velle cum adjutorio divino, mortem, prout poterit, commodè evitare. Cogitet insuper, si Deus eum per mortem ex hac vitâ evocare velit, mortem se velle suscipere libenter, & cum gratiarum actione; quantumvis inferior hominis portio, corporisque imbecillitas repugnet. Nec timeat ille, si forsan inficiatur, ne auxilio necessario destituatur. Qui si totus eum desereret Mundus, confidens in Deo, tutam & salutarem habebit custodiam Omnipotentis. Et Dominus item, quòad fuerit opus, prospiciet quoque illi, de auxilio humano. Nec talis Deum tentat; sed sponte & humiliter se submittit beneplacito divino: ut possit ex animo Deum orare, & dicere; Fiat voluntas Tua. Et illud Jobi *c.* 13. Etiamsi occiderit me, in illo sperabo. Neque sanè dubitandum est, quin talis, non fugiendo mortem, sed in verâ fide humiliter flagello divino, multipliciter commerito se submittendo, meliùs etiam agat, longeque magis & faciliùs consequatur cum excussione timoris, solidam animi consolationem, lætitiam, fortitudinemque virilem; atque à morte etiam corporis, præservationem (si ei conducat) & Christianam spem ac persuasionem; si Deus eum ex hac vitâ evocârit, illud fore ad maximam suam utilitatem, prout novit optimè suis prospicere Deus. Cæterùm si quis fuerit in eo statu, vel casu, ut ex divino præcepto mortem subire obligaretur, ne desereret Justitiam aut fidem; aut si tunc fugiendo, graviter alios scandalizaret; similiter si ex officio, vel aliquâ speciali obligatione; vel aliundè, ex jure naturali, aut divino, oneri sit adstrictus, præsentiam ejus requirenti; ita ut ejus absentia diuturna cederet alicui communitati, vel proximo in grave periculum aut jacturam: tali homini non licet fugere tempore pestis, ad evitandum periculum mortis; ex eadem planè ratione, ob quam in milite, aut cive pro patriâ pugnante, etiam timiditas & fuga puniri graviter solet. Nam per ejusmodi flagellum divinum, illiúsve timorem, non solvitur vinculum obligationis, quo quis alteri tenetur. Sicque fugere nequeunt habentes animarum curam. Bonus enim pastor animam suam pro ovibus dat; mercenarius autem fugit; *Ioh.* 10. Christus animam suam pro ovibus posuit: & nos pro fratribus animas ponere debemus, 1. *Ioh. cap.* 3. sic ad permanendum itidem sunt obligati, quibus incumbit cura regiminis aliorum, tàm publicè, quàm privatim. Quodque Episcopus tempore pestis, haut debeat saluti suæ consulens deserere gregem; sed ut pro eo vitam exponat, illum magis ac magis, à pravi operis perpetratione cohercens, & bonorum præmia, malorumque pœnas edisserens; monet piè &

pluribus B. Gregorius Pontifex Maximus *lib. 8. epist. 41.* Obligantur pariliter, ne alter alterum deserat tempore pestis, qui sibi invicem sunt obstricti ad mutuam subventionem: uti in Monasterio, vel aliâ communitate cohabitantes: aut in conjugio existentes; maritus, uxor, parentes, liberi, tutor, & ejus pupilli &c. Et in tali maximè casu locum obtinet illud, 1. *ad Timoth. cap. 5.* Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem non habet, & infideli deterior existit. In consimili conditione est, alterius famulitio & obsequio jugiter adstrictus: ut sunt famuli, ad privatim, aut publicè alicui inserviendum conducti. Et vice versâ, Dominus sive præsens, sive absens, etiam illis providere tenetur; ne scilicet deserantur, sed ut eis quàm optimè subveniatur. Tenetur item vicinus, tempore pestis; non deserere suum vicinum; necessariò ejus operâ indigentem. Omnia enim quæcunque vultis ut homines vobis faciant; ita & vos facite illis. *Matth. 7.* Tandem quilibet obstringitur, quemcunque alium, divitem, pauperem, amicum, inimicum, familiarem, sive alienum; non deserere; in casu extremæ necessitatis, probabiliter imminentis. Deus certè, per nostras, & aliorũ adversitates tentat nos: hoc est, vult à nobis declarari fidem nostram erga Deum, & in proximum dilectionem. Pro te mortuus est Deus: quare tu non propter Deum te exponeres periculo incerto; pro proximi salute? scriptum enim est: Diliges proximum sicut teipsum *Matth. 22.* & secundum Apostolum, 1. *Cor. 12.* Nos omnes sumus corpus Christi, & membra de membro, ac omnia membra corporis ejusdem, pro se invicem sollicita sunt. Christus in judicio extremo dicet illis, qui à sinistris erunt: *Matth. 25.* Discedite à me maledicti, in ignem æternum. Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, nudus eram, & non operuistis; infirmus ac in carcere, & non me visitâstis. Quibus pro operibus misericordiæ, paulò antè Dominus dixit: Amen dico vobis, quàm diu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quapropter qui minimo suo fratri, in infirmitate, aut magnâ tribulatione constituto non adest, pro posse illi succurrens, graviter peccat: quemadmodum qui ipsi Christo Jesu, si ei succurri posset, non adest. Generatim ergò Scholastici concludunt: omnes, quorum diuturna absentia, proximo esset injuriosa, damnosa, periculosa, vel scandalosa; aut caderet in deminutionẽ divini cultus, regiminisq; convenientis; cedere haut debere. Si enim uni tali fugere liceret, liceret & alteri: & sic cuilibet, omnibusque fugere, & quæ sui officii essent, prætermittere permissum esset; soliq́ue remanerent illi, quos vel res domi angusta detinet, vel qui alibi commodam habitationem nequeunt invenire. Proindè, non planè absonum videtur, quando in Republicâ ali-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [88] - 86

quâ, certâ ſub pœnâ prohibetur; ne cives ex urbe, tempore peſtis, inibi graſſantis, ſecedant. Hoc etenim quandoque, rationabili de cauſsâ fieri poſſe, magis probabile videtur. Cùm quippè incommoda multa ſequantur ex fugâ ditiorum, taliq́ue diſtractione civilis ſocietatis; facileq́ue porrò, in liberis præſertim Rebuspublicis diſſidium, reiq́ue publicæ perturbatio noxia ſubſequi poteſt. Et charitas non quærit, quæ ſua ſunt, 1. *Corinth.* 13. nec eſt in charitate timor, eumque perfecta charitas foràs mittit. 1. *Ioh.* 4. Referre lubet hìc, quod in vitâ Pauli Fagii, viri æquè pii ac doctiſſimi habetur: *fol. mihi* 105. Anno 1541. ut in multis aliis locis, ita Iſnæ quoque cœperat graſſari peſtis: quo tempore, quantam Fagius, cùm animi magnitudinem, tùm charitatem, ſollicitudine mq́ue oſtenderit, nullo modo prætereundum eſſe videtur. Primùm, cùm ſciret cives, præſertim locupletiores, ſi quando lues iſta ſæviiſſet, relinquere oppidum, & alia in loca, in quibus aër ſalubrior eſſet, ſeſe conferre conſuevisſe; nulla ratione habitâ pauperum & ægrotorum. Deindè, cùm illud etiam, quod ipſis cum multis commune eſt, civitatis inſtitutum non ignoraret; ut ſi quâ in familiâ, peſtis aliquem infeciſſet, reliqua familia tota, per integrum menſem, domo egredi prohiberetur: ſui officii eſſe judicavit, de utroque homines admonere, & ex verbo Dei convincere atque docere; utrumque non modò à pietate Chriſtianâ, verùm & à communi humanitate remotiſſimum eſſe. Et, ut erat in docendo vehemens ac copioſus, facilè multorum animos in ſuam ſententiam adduxit: ut plerique cives aut manerent, & ſe quoque committerent providentiæ divinæ; aut ita diſcederent, ſi qui diſcedebant, ut relinquerent gratiſſimam memoriam ſui. Dum nempè haut ante abitum ſolùm, eleemoſynas liberaliter dediſſent; ſed etiam poſtquàm abiiſſent, non deſiſtebant pauperum meminiſſe, & eleemoſynas mittere, ipſius cohortationibus commoti. Effecit item ille idem, ut longè tolerabiliori conditione ij eſſent, quos Dominus viſitaverat, quàm fuerant antè. Etſi namque nondum Senatus illud interdictum, quo vetabantur exire, quorum in familiâ quispiam peſte fuiſſet correptus, penitùs ſublatum erat: eâ tamen prudentiâ & pietate Senatus fuit; ut conſtitueret homines idoneos publico ſumptu, ijſq́ue mandaret, ut omnibus laborantibus, qui ipſorum operâ uti vellent, adeſſent eorumq́ue gererent diligentiſſimam curam. Ipſe autem Fagius, intrepidus omnes laborantes adire; dies noctesq́; omnibus adeſſe: ut planè miraculo divino, in tàm ſævâ lue, omnium teſtimonio fuiſſe conſervatus non dubitaretur. Hisq́ue rebus brevi effectum eſt, ut ita eleemoſynæ auctæ ac cumulatæ ſint, ut ex ijs nova domus ædificata, omniq́ue neceſſariâ ſuppellectile inſtructa atque ornata ſit: in quam è civibus tenuiores, famulitia, & peregrini recipiebantur.

Sanè

Sanè peſtis tempore, quàm maximè adparet, quomodo differat Phariſaica pietas, à pietate ſimplicis atque probi vulgi. Johannes Metellus, ICtus Anno Chriſti 1564. Coloniæ, ubi tùm peſtis graſſabatur maximè, ad Caſſandrum ſcripſit, hoc idem quod dixi modò, firmare videtur. Ego, ex omnibus, qui te, dum hîc eſſes, inviſebant, ſolus reliquus ſum, qui ſtationem Dei ſummi beneficio ſanus ac ſalvus, minimè deſerui. At hoc mirabili divinâ providentiâ contigit: ac tantum profeci, caſibus miſerandæ civitatis; ut quæ philoſophi, ſcriptis ex aliis accepta tradunt, de contemnendâ vitâ (quanquàm nihil ſit in nobis, de quo nobis aliquid polliceri poſſimus) ipſe coràm ſpectârim, licet invitus: atque tandem non ex mortuis Magiſtris didicerim, ſed vivis. Multùm verò intereſt, quid legas, an videas; uti tute facilè nôſti. Videre autem mortuos, quos biduò antè hilares ſpectâſti, nec unum, ſed multos; equidem conſtantem etiam hominem movere poteſt. Deinde antidota nulla, obſiſtere huic lui, metum auget. Præcipuos fugere cives; plebem tamen periculis ſeſe objicere audacter, nec timere, imò mori ferè cupere, quid aliud porrò eſt, quàm lupum auribus, in re periculoſiſſimâ tenere? Tandemque ex ſententiâ Ximenii addit; miſerias varias illius temporis, coràm conſpexiſſe, optimam eſſe mortis commentationem, *cent. 1. Epiſtol. Belgicar. quas ex Vandermylij Bibliothecâ, Daniel Heinſius eruit, epiſt. 68.* Subjungam & ex Eccleſiaſticâ hiſtoricâ, quædam memorabilia exempla: primumque Euſebius proponit, *hiſtor. lib. 7. cap. 20.* ubi ita ſcribit: Inſecutus eſt Alexandrinam perſecutionem, peſtilens morbus, & terribilis plaga: ſed illis multò terribilior & gravior, quos nec ſpes erigit futurorũ. Nobis verò hæc omnia, exercitia quædam virtutis, & fidei probamenta ducuntur. Quamvis enim denſior, ſæviorque paganos magis, quàm noſtros, invaſerit morbus; tamen ne à noſtris quidem penitùs abſceſſum eſt. Multi namque ex fratribus noſtris, pro nimiâ charitate, dum absque ullâ cunctatione, infirmos viſitare non deſinunt; & non ſolùm viſitare, ſed & miniſtrare, & exhibere officia, quæ Dominus præcepit; ſerpente morbi contagione, cum illis pariter, quibus miniſtrare voluerant, interibant. affectu enim quodam dilectionis attracti, & velut participare dolores, cum dolentibus cupientes, alienas in ſe mortes, haut ſegniter transferebant, & effecti ſunt eorum, ut dicit Apoſtoli ſermo, περίψημα. Denique plurimi noſtrorum, præcipui, & electi viri, inter quos & presbyteri nonnulli, & Diaconi, multique alii de plebe; conſtantiſſimâ & ardentiſſimâ fide, tanquàm ſi Martyrii tempus inſtaret; miſerando infirmos, ſemetipſos hujuscemodi mortibus inferebant; miſericordiæ ex hoc martyrium capere præſumentes. Et dum curandis ægris, defunctis exportandis, humandisque corporibus operam dabant, inſequebantur

tur penè eos, quos suis humeris devexerant ad sepulchra. Pagani verò è contrario, suos continuò ut ægrotare cœperant, deserebant: parentes charos liberos, uxorem conjunx; filiique nihilominus parentes, statim ut tremere membra vidissent, & morbo ora pallere, domo propulsos, in plateas semineces ejiciebant: ibique insepulta eorum cadavera relinquentes, vim morbi, quam per hæc se effugere opinabantur, dupliciter incurrebant; dum ad pestilentiæ rabiem, etiam fœtor insepultorum cadaverum jungeretur. Refert idem Eusebius *lib. 9. cap. 8.* famem & pestem, siccitate diutinâ caussatas: ac inter alia ita scribit; Quòd si fortè quis locupletum, miseratione permotus, impertiri aliquid cibi, indigentibus voluisset, constrictus & præfocatus multitudine eorum, in quibus nemo erat, qui repellendus videretur, deserebat inceptum; nec misericordiæ propositum, per vim eorum, quos inedia effecerat impudentes, explere valebat. Interea per plateas omnes & angiportus, erant omnia cadaveribus mortuorum repleta, nec erat omninò qui sepeliret; dum & ipsi qui adhuc superesse videbantur, morbo invalidi essent, & quasi continuò morituri. Verùm cùm & inhumata mortuorum cadavera, quos consumpserat fames, in plateis jacerent, & quos lues usque ad unum interemerat, nihilominùs insepulti in domibus manerent; qui verò superesse videbantur, inediâ urgerentur; clamare omnes, & sponte Christianorum pietatem, misericordiamque imprecari; quosque paulò antè, extorres, patriâ & domo egerant, nunc suppliciter exorare', ut more sibi solito, viventibus auxilium deferant, mortuis insepultis, sepulturæ justa persolvant. Apud ipsos tantummodò miserationes valere, apud ipsos solos, quæ humanitatis sunt, pietatisque servari. Nec tàm veram religionem, tàm sanctam, tamque perfectam in omnibus, ullam esse, quæ consulere hominibus universis, tanquàm propinquis & proximis suadeat. Tàm verò nostrorum populi, quibus reverâ per Dei gratiam (quod maximè omnibus mirabile fuit) neque fames in aliquo, neque lues fuerat dominata, in nullo prorsus injuriæ memores, more sibi solito & ad misericordiam etiam inimicorum, præceptis Dominicis instituti; conferre certatim unusquisque prout poterat, cibos, & sustentare, ac reficere pereuntes; & non solùm cibos cum eis, sed & affectum participare. Ex quo indigentibus etiam parva sufficere videbantur, quæ cum magnâ pietatis affectione præbebantur. Illos quoque, qui morbi contagione laborabant, ad quos nullus gentilium, ne propinquorum quidem introibat, sedulâ & frequenti visitatione curare; nec pati omninò aliquid per contagium; quipp è quos gratia Divina circundaret: cadaveribus quoque mortuorum sepulturam deferre, & quæ sunt naturæ, justa complere. Ita brevi, ingressâ solo Christianorum per urbes & vicos, malorum facies

immutata; rebus ipsis atque operibus, veram esse, & piam religionem Christianorum, in cordibus omnium scripsit multò tenaciùs, quàm tabulis æreis, eam falsam esse inciderat Tyrannus. De lue Africam infestante, deque S. Cypriani sedulo tunc officio, non solùm erga fideles, sed ipsos etiam gentiles impenso, plura Pontius habet in ejus vitâ. Quo etjam tempore idem Cyprianus, libellum de mortalitate cognoscitur scripsisse: quo cùm debiles ad tolerantiam, & ad contemptum humanæ vitæ excitavit; tùm etiam arguit eos qui offenderentur, quòd debitum gentilium crudelitati supplicium, pertingeret quoque Christianos; pluribus docens, quàm ea pestis proficua esset, ipsis etiam Christianis. Sed proh dolor, nunc genuinus talis, & primitivæ Ecclesiæ Christanismus, evanuit nunc, & inter tot pro fide belligerantes sectas, nullibi horum ferè invenitur. Quodque tandem Turcæ, non abhorrent peste adfectos; haut id charitatis amore, sed ideò fit, quia omnia immutabili fato fieri credunt. Tom. 2. du Mercure Francois, *fol. mihi* 125. *b.* Natalis Comes, *histor. lib.* 27. *fol. mihi* 597.

IV. Nunc historicam descriptionem, morborum aliquot contagiosorum subjungam. Inter quos mirabilis fuit ille, qui belli Peloponnesiaci tempore, Græciam adflixit, quemq; Thucydides *lib.* 2. describit. Pleriq; septimo aut nono die, adhuc aliquantū firmo corpore, ab interno fervore extinguebantur: intùs enim tanto æstu fervebant, ut ne tenuissimas vestes, aut lintea, aut aliud quicquam, nisi nuditatem sustinebant; undè etiam multi homines neglecti, immensâ siti cogente, se in puteos præcipitaverunt. Qui superaverant, descendente in ventrem morbo, & exulceratione in eo vehementi exortâ, ac insuper magno profluvio accedente, paulò pòst, ipsâ debilitate, plerique interibant. Pervadebat enim totum corpus, sumpto à superioribus partibus initio, malum illud, cui fuerat prima in capite sedes. Et quia alius ob alterius curationem plùs lædebatur, ritu ovium moriebantur: quæ præcipua mortium extitit caussa. Aut enim cùm præ metu se invicem non adirent, deserti peribant, multæque inopiâ curantium, habitatoribus orbatæ domus sunt: aut assidentes, curantesque, eàdem vi morbi repletos secum trahebant: inprimis qui honestatis ducentes rationem, invisendo amicos sibi ipsis non parcebant &c. Ac Lucretius *lib.* 6. hunc eundem morbum, & Hippocrates *lib.* 3. *Epidem. sect.* 3. medicè describit. Ejusque Diodorus Siculus, *lib.* 12. tres caussas percenset. Cùm, inquit, hyeme præcedente, magni gravesque imbres, regionem inundassent, factum est, ut locis depressioribus, aquarum multitudo residens, in paludum morem stagnaret: quâ æstatis subsecutæ calore putrefactâ, crassi gravesque coacti vapores, aêrem exhalantes infecerunt. Victus deindè, & alimentorum vitium

trium, morbi causſa fuit: cùm fructus ejus anni, nimio humore corrupti, neque cocti satis ad salubritatem fuissent. Tertia causſa fuit; intermissio Etesiarum, quarum alioqui flatu, nimius æstatis calor temperatur. De peste Anno 1348. qualis Florentiæ & in Italiâ reliquâ fuit, pluribus Johannes Boccacius, *in principio Decameronis* agit. Et de eâ habet aliquid Petrarcha, *lib. 3. de senil. epistol.* 1. ad eundem Boccacium; ubi inter alia scribit: Vacuus hominum, sed criminum plenus est orbis. Sic ad paucos, tota scelerum descendit hereditas, ne miremur, si quò pauciores, & pejores sumus. Nam necesse est hoc mentiū virus, & hanc rabiē, & hunc luxum, & hanc sartaginem vitiorum, perpetuis ignibus superjectam; cui nihil deminuitur, sed indies aliquid additur, eò fervere funestiùs, quò fervet angustiùs. De eâdem plagâ, conqueritur idem Petrarcha, *lib. 8. epistol. famil. epist.* 120. *ad Socratem*, ac ait: Audeo affirmare, quòd si omnium seculorum flagella, post arcam illam famosissimam, reliquias mortalium informi pelago circumferentem, cum præsentibus conferantur, delitiæ fuerint, & ludus, & requies. Neq; enim his malis cōferri decet bella quantalibet &c. Et item Jovius, *lib. 21. historiarum*, recenset: regnante Hadriano Batavo, exortā in urbe fuisse pestilentiæ luem eamque cùm severis legibus, more Italorum, Pontifici minimè cohercenda videretur, contactu ægrorum ita exarsisse, ut urbi vastitatem minaretur. Tum Græculum quendam, nomine Demetrium, Spartanum, hac ratione, sedandæ pestilentiæ negotium suscepisse; & etiam quod volebat, perfecisse. Ferum taurum, cui dimidium cornu dissecārat; magico carmine dextram in aurem prolato, repentè ita mansuefactum reddidisse, ut injecto tenui filo ad integrum cornu, quò vellet, eum perduceret; & tādem pestilentiæ placādo Numini, ad Amphitheatrum immolâsse. Id quod Magicum omninò fuisse videtur, & maximè detestandum. Anno Christi 1576. memorante Thuano, *lib. 62. à princ.* ingens pestis immaniter totâ in Italiâ grassata est; quâ majorem non meminerunt homines, post illam, quæ Anno 1528. Italiam adflixit, & Gallicum exercitum, duce Lotreco, Neapolim missum, ad internecionem delevit: à Francisco Guicciardino, & Paulo Jovio descriptam. Et hæc vulgi constans opinio fuit, morbum in urbibus ipsis natum, ex immunditie ædium privatarum, non à positu stellarum, aut aëris malignâ constitutione. Eâ lue, Tridentum ad solitudinem penè redactum fuit: cumque vis morbi resedisse crederetur, statim Venetiis recruduit, ita ut uno anno, ad LXXCIↃ. hominum, absumpta memorent, qui rem vero majorem non fingunt. Malo, ut latiùs serperet, causſam in parte præbuisse dicuntur Hieronymus Mercurialis, Forolivienſis, & Hieronymus Capivaccius, Patavinus, ambo præstantissimi Medici-

næ professores: qui à Senatu accersiti, & controversantibus in urbe de morbi naturâ Medicis, sententiam rogati; cùm talem morbum pestilentem (contagiosum puto) non esse asseverassent, professique, posse se eum curare, in eam curam Senatûs permissu incubuissent, ex eo ægrotantes, vel leviter suspectos, antea in locum hâc lue contaminatis assignatum, exportari solitos, in urbe retinuerunt: qui grassante, jamque se clariùs prodente morbo, alios facilè corruperunt, & indè malum in majus auctum, Ita ut cùm administri eorum aliquot, & præterea excellentes Medici, seu Chirurgi LVIII. periissent; ipsi petitâ à Senatu veniâ dimissi sint: ob tàm pium conatum, nihilominùs laudati, quòd tot hominum saluti, periculum proprium postposuissent. Mediolani, Cremonæ, Papiæ, innumeri etiã eo morbo perierunt. Carolo Borromæo, Nicolao Sfondrato, Hippolyto Rossio, Cardinalibus, harum urbium Episcopis, nullam non diligentiam, nullum non pietatis & humanitatis officium adhibentibus; ut ægris solatio, & rebus contra tàm sævum malum necessariis, in tempore subvenirent. Borromæus inprimis ægros invisere, & quasi de contagione securus, præsens alloqui, & aliquandò tangere, toto eo tempore non desiit. Pestem item hancce calamitosam, quæ dicto Anno MDLXXVI. Italiam, Venetias, Mediolanum, & cum primis Tridentum adflixit, longo stylo describit Natalis Comes, *hist. lib. 27. fol. mihi 605.* ac in simul recenset ejus occasione varia instituta. Ac ait: quia Mediolani cœptum esset, ad convellenda semina pestis, & contagii, omnem supellectilem flammis absumere; qui morbo fuissent correpti, ne cæteros contagium, & rerum translatio corrumperet: multi, ne illud detrimentum acciperent, cogitârunt, optimè consultum fore suis rebus, si potiùs vitam, quàm rẽ amitterent; hoc est, si rem ipsam occultarent, nemineque sentiente, mortuos domi clàm sepelirent. Sic per illam optatam supellectilis conservationem, omnes unà in multis domibus extinguebantur. &c. Per harum rerum nuntios, qui diditi sunt in proximas quasque regiones, sublata sunt ubique mutua commercia Insubrum. Parmenses tamen cives, cognitis his Mediolanensium difficultatibus; quia videbatur nimis inhumanum, ac barbarum quiddam, & ab omni Christianâ charitate maxumè alienum, omnia prorsus adjumenta Christianis hominibus, & amicis ac finitimis denegare, nedum nescire, quæ fierent in illis finibus: neque commercia prorsus concesserunt ad securitatem; neque prorsus ad charitatem sustulerunt. Clatros igitur geminos, tanto intervallo interse distantes excitant, ut qui essent citra hos, facilè exaudire possent, qui essent ultra illos; si modò altiore voce loquerentur. Sic litteræ indè legebantur, hinc scribebantur iisdem verbis, & ad destinatos homines, cũ inscriptionibus;

sine

sine ullo metu morbi transmittebantur. Magna ac miserabilis strages, edita est Venetiis. Patres præfecti conservandæ urbanæ sanitati, nullum genus industriæ prætermittere, ut semina quamprimùm convellerentur: ægros ad locum extra urbem, Lazaretum vocant, mittere, quibus omne genus ministerii, ad recuperandam sanitatem suppediraretur: suppellectilia flammis absumere, quæ dissolverentur, quanti fuissent æstimata, è publico ærario: omnia jubere auferre per noctem, ne urbs metu consternaretur. Sed cùm succrescente indies ægrotantium multitudine, nimis fieret sumptus publicus in suppellectilia combusta, fit decretum; ne præter lectos quicquam combureretur: & jussa est in locis finitimis suppellex aëri ac Soli extendi. Cùm verò hâc ratione, vis morbi paulatim extincta adpareret, paulò pòst verò violentior surgere videretur; præfecti sanitatis vetant sub gravibus pœnis, ne mulieres, vel pueri exirent è suis vicis, ut mutuâ consuetudine civium sublatâ, contagii opportunitas tolleretur. Sævitum est in omnes canes & feles urbanos, ne per hujusmodi animalia, pestis ex alia, in aliam domum inferretur. Cumque Veneti Medici inter se non consentirent, accersiti Patavio sunt, Hieronymus Mercurialis, & Hieronymus Capovacca. Hi ad Principem admissi, palàm profitentur, se cognoscere hanc non esse contagiosam pestilentiam, sed malignos quosdam morbos, qui tamè possent per incuriam ægrotantium facilè in pestilentiam commutari: atq; quòd non esset vis contagii, nitebantur persuadere; quare se domos languentium ingressuros, & curaturos pollicebantur. Dissentiebant Veneti Medici, plerique ab hâc opinione, sed novis & feliciora promittentibus, plerunque faciliùs creditur. Non solùm autem ope Medicâ, sed etiam pecuniâ adflictos & pauperes aliquando juvabant; quare non tanquàm peritissimi Medici, sed tanquam Dei, aut Aesculapii, à plerisque laudabantur & colebantur. Verùm quoniam unà cum fortunâ, floret & arescit omnis laus, & gloria mortalium; cùm morbus nihil remitteret, resque in pejus quotidiè laberetur, invaderenturque sani tanquam à flammis siccâ & unctâ materiâ; quia illis credentes, simul versantes luem contrahebant; conversa est omnis laus Medicorum, in lamentationes & maledicta. &c. Excavatæ sunt fossæ amplæ, ubi corpora, multis ordinibus, calce & terrâ tegebãtur, donec fossæ essent repletæ; quâ ratione putabantur facilè absumi. Imperatum est, ut è vestigio languentes patefierent, neque domus mutaretur: vetitum, ne quis languentes inviseret, præter Medicos, & conjunctos primo, aut secundo adfinitatis gradu: statutum, ut conscriberentur qui convaluissent; decretum ut omnia languentium symptomata, ad unguem explicarentur: nemo ut ingrederetur domum intra quatriduum, in quâ quis decessisset, neque domestici

cum aliis, citrà diem octavum, à funere versarentur. Et ibi adduntur alia statuta, digna lectu, & quæ ex parte usurpare liceret in simili casu. Anno M D LXXVIII. ut memoriæ mandavit Conestagius, *lib. 4. de Portugall. cum Castell. coniunct. fol. mihi 183. &c.* Pestis, postquam in Italia, Germania, Anglia, & parte Galliæ grassata esset, tandem etiam Portugalliæ Regnum, & indè in totam Hispaniam pervasit: sed nullibi magis sæviit, quàm in urbe Lisybonâ. Sævissima hæc pestis, fortassis à Deo Opt. Max. ob peccata immissa, non ex aëris corruptione, sed ex contagione nata erat. Derivata fuit in illud Regnum, ab hominibus & mercibus, quæ ex locis infectis veniebant: cumque urbs Lisybona, magnam partem à muris nuda, & mercaturæ deditissima sit, difficile erat prohibere, ne hujusmodi tùm homines, tùm merces reciperentur. Clementia aëris, sordes civitatis, nimius communis esus piscium, incuria Magistratus, cui cura sanitatis tuendæ commissa erat, in ægrotis à sanis separandis, & in reliquis rebus omnibus, sive inscitia, sive negligentia, malum nutriebant. Quia vero hoc morbo infecti, brevissimo temporis spacio moriebantur, & quia ille instar ignis, pulverem tormentarium incedentis, celerrimè omnes, qui ad ægrotos accedebant, corripiebat; magnus civibus terror incaussus fuit. Tandem docuit experientia, remedia lenientia, Cornu Monocerotis, & Lapidem Bezoar, plurimùm omnium prodesse.

LIBER III. & ult.

De Sepulturâ.

CAPUT I.

Cadavera terræ mandanda: ac nemini facilè denegandam esse sepulturam.

SUbjungendum est tandem aliquid de Sepulturâ, seu curâ Mortuorum. Ubi primò sciendum, pium esse mortuos honorificè sepelire, licet nil adimat Christiano, ubicunque sepeliatur B. Augustinus *de civitate Dei 1. cap. 12.* In memoriam enim humanæ conditionis, sepulturæ corpora tradere, laudabile est, *l. quidam 27. ff. de condit. instit.* Andreas Dalner, *de Iure hominis, lib. 1. part. 14.* Corpora autem terræ sunt mandanda, non custodienda Aegyptiorum more. Mos etenim est nobilium, & præ-

& præcipuè beatorum Martyrum, corpora linteamine quidem obvolvere, & ſtudium funeri ſolitum non negare; terrâ verò non abſcondere, ſed ſuper lectulos domi poſita reſervare. Hunc honorem quieſcentibus reddi, inveteratæ conſuetudinis vanitas tradidit. De hoc Beatus Antonius Eremita ſæpè & Epiſcopos deprecatus eſt, ut populos Eccleſiaſticâ conteſtatione corrigerent, & laicos viros ac mulieres, rigidiùs ipſe convenit; dicens non licitum hoc eſſe, nec Deo placitum: quippè cùm Patriarcharum & Prophetarum ſepulchra, quæ ad nos uſque perdurant, hæc facta convincerent. Dominici quoq; corporis exemplum intueri jubebat; quod in ſepulchro poſitum, lapide uſque ad reſurrectionis diem tertium, clauſum fuerit B. Athanaſius *in vita Anton. c. 57.* ubi omninò conſule Reverendum Patrem Heribertum Rosvveidum, *in notu.* Vetus ſanè Aegyptiorum Gentilium conſuetudo fuit, ut cadavera medicata domi ſervarent. Pomponius Mela. *lib. 1. cap. 9.* Mortuos nec cremare, nec fodere fas putant; verùm arte medicatos intrà penetralia collocant; ſed & mortuos ſuos, menſis velut convivas adhibebant: ut Lucianus teſtatur, *de luctu.* Silius Ital. *lib. 13.*

-----Aegyptia tellus
Claudit odorato, poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exſanguem haut ſeparat umbram.

Sanctus Auguſtinus, *ſerm. de divers. 120. qui eſt prior tractatus de reſurrectione mortuorum, cap. 12.* Aegyptii ergò ſoli credunt reſurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum: morem enim habent ſiccare corpora, & quaſi ænea reddere, Gabbaras ea vocant. Quæ mox irridens ſcribit: Soli Aegytii benè credunt reſurrectionem mortuorum ſuorum: aliorum verò Chriſtianorum ſpes, in anguſto eſt. Viguiſſe videtur aliquo modo mos ille, jam tempore Joſephi: is enim mandavit ſervis ſuis Medicis, ut ungerent patrem ſuum, & Medici ungebant eum per quadraginta dies: eò uſque enim durabant dies ungendi, *Geneſeos cap. ultim.* Viſuntur adhuc in Aegypto, ſepulchra, & talia cadavera curata, Chriſtophorus Fuererus, *in Itinerar. fol. 25.* Ad locum illum delati ſumus, ubi ſepulchra ſunt, quæ tantum continent ambitu ſuo, quantum urbs Alexandria; quem locum, ut & cadavera ipſa, incolæ Mumias vocant. Sunt autem ſepulchra ſingula lapidibus inſtructa, inſta putei cum foramine quadrato, profunditate haſtæ longitudinem exæquante, in quæ non difficilis eſt deſcenſus. In imo aliud foramen eſt minus, per quod difficulter tranſiri poteſt: ubi anguſta eſt caverna cadaveribus plena, quæ tamen omnia, eleganti ordine diſpoſita ſunt. Juxta hanc aliæ ſunt continuæ, eâdem formâ, ita ut ab unâ ad alteram tranſiri poſſit, tanquàm in labyrintho quodam. Viam, nobis (inquit Fuererus) monſtrabant

bant Arabes quidam, prælatis funalibus, qui cadavera nonnulla, ſubtili carbaſo, modo ferè quo apud nos infantes, involuta explicabant; & quomodò inteſtina, reliquaque viſcera, hepate tantùm, cordeque relictis, exempta; corpora verò balſamo, aliisque aromatibus conſperſa, putredinem omnem eluderent, haut indiligenter monſtrabant. Ipſa cadavera vetuſtiſſima erant; & ſive aromatum copiâ, ſive vetuſtate, nigra admodum: ex urbe Memphi hûc delata. Aegyptios hâc in parte imitantur Indi Occidentales in Comagra, de quibus Petrus Martyr *decad. 2. lib. 3. de reb. Oceanicis* refert, eos Cameras habere, penſilibus cadaveribus refertas, &c. pro cujusque gradu indumenta cuique cadaveri impoſita eſſe, auro, gemmisque ſuperintexta. Et certè hominis cadaver, terræ, ex quâ ſumptum eſt, mandari debet. Rabbini hâc de re pro more ita loquuntur; Corpus linquitur in poteſtate Dæmonis Zazelis, de quo dictũ eſt in ſcriptura: Terram comedas omnibus diebus. Et alibi: Pulvis terræ panis ejus. Creatus autem cùm ſit homo pulvis terræ; indè Dæmonem illum dici ajunt, Dominum ſanguinis & carnis. Verùm illud ſepulturæ genus, tanquàm antiquiſſimum, Cicero 2. *de Legibus* commendat. vid. Philipp. Camerar. *medit. hiſtoricar. cent. 2. cap.* 70. Joh. Gerhard. *cent. quæſt. politic. decad. 8. quæſt. 9. cùm ſeq.* Keckerman. 1. *politic.* 1. *cap.* 13. Et ex hoc pateſcit vanitas ac inanitas noſtra. Optimè Innocentius III. Pontifex Maximus, *lib. 3. de miſeriâ hominis. cap. 1.* Homo mortuus hereditabit beſtias; ſerpentes & vermes. Omnes enim in pulvere dormient, & vermes operient eos; ſicut veſtimentum, ſic comedat eos vermis; & ſicut lanam, ſic comedat eos tinea. Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermis. Quàm turpis pater, quàm turpis mater, quàm abominabilis ſoror. Vivus generavit pediculos, & lumbricos; mortuus generabit vermes & muſcas. Vivus producit ſtercus & vomitum, mortuus producit putredinem & fœtorem. Quid igitur fœtidius humano cadavere: Quid horribilius homine mortuo? Cujus gratiſſimus erat amplexus in vitâ, moleſtus etiam erit aſpectus in morte. Quid ergò proſunt divitiæ? Quid delitiæ? Non liberabunt à morte, non defendent à verme, non eripient à fœtore. Qui modò ſedebat in throno glorioſus, modò jacet deſpectus in tumulo; qui modò fulgebat ornatus in aulâ, modò fœtet nudus in tumbâ. Qui modò veſcebatur delitiis in cœnâ, modò conſumitur à vermibus in ſepulchro. At ut ad propoſitum revertar: adeò etiam in jure noſtro, favorabilis eſt ſepultura in terrâ; ut ſi quis in teſtamento ſuo quem inſtituat ſub eâ conditione; *ſi reliquias eius abiiciat in mare*: ea non debeat impleri, *l.* 27. *ff. de condit. inſtitut.* Heraclitus autem Philoſophus ſtatuit, Ignem, omnium naturalium rerum, ſolum & verum principium eſſe: undè voluit

idem

idem, ut subitò pòst mortem, corpora humana combustioni darentur: eò quòd omnes res creatæ, sequendo sphæricum modum, deberent in fine ad suum principium redire. Verùm satis jam Christianis constat, non de igne, sed de terrâ summum Opificem corpora nostra formasse; & consequenter secundum illam ipsam regulam Heracliti, in terram reverti debere. Quódque cadavera non sint comburenda, latè tractat Kirchmannus, *de funeribus, lib.* 1. *cap.* 1. *&* 2. Idemque etiam Antonius Cæsar planè sustulit, abusum illum combustionis cadaverum in Româ; & ordinavit, ut in terrâ conderentur. sic & Xenophon *in pædiâ*, introducit Cyrum, morti adpropinquantem, ita ad servos suos perorantem; Mei pueri, cùm decessero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in alio aliquo lapide collocare; sed terræ statim reddite, quid enim beatius, quàm terræ commiscere, quæ tot pulchra nutrit & parturit. Probabile verò est corpora primitùs ideò combusta fuisse; ne in ea quis sævire possit: hancque propter caussam Saulis, ejusque filiorum cadavera exusta fuerunt, 1. *Samuel. cap. ultim.* Fuitque hoc sepulturæ genus, Græcis, Romanis & Barbaris valdè familiare. vid. Claud. Guicciardum, *lib.* 1. *de Funeribus, cap.* 4. & ejus varias rationes Eustathius refert; *Iliad.* 1. ex quibus præ cæteris illa Marco Antonio Delrioni placet, *ad Senecæ Thyest. in not. margin. vers.* 747. quòd voluerint hoc modo cadavera, quæ erant impura, igne purgare. Romæ in Campo Martio, clari viri mortui cremabantur. Item Imperatores rogo exstructo, certis quibusdam ritibus & ceremoniis, in Deos referebantur; quam rem pulcherrimâ narratione exponit Herodianus. Veteres item Romani, ad concrematorum cineres reponendos, urnis usos fuisse legimus; cujusmodi antiqua monumenta, passim in Italiâ reperiuntur. Bayfius *tract. de vasculu*, Ac proprio nomine ossuaria dicebantur: vid. Cujacium 10. *observat. cap.* 37 & cineraria quoque. Undè Christiani olim, quod reliquias Martyrum honorabant, Cinerarii per contemptum vocabantur. Beatus Hieronymus *in epistola quadam ad Repuarium.* Urnæ pro cujusque facultatibus & conditione, vel viles, vel pretiosæ erant: virorum namque illustrium ossa, aureis urnis condita fuisse, Homerus memorat, Spartianus item de Severo, & Eutropius de Trajano. De urnâ argenteâ, Ammianus Marcellinus, *lib.* 10. pòst incensum corpus, ossáque in argenteam urnam conjecta.

II. Sepeliendi itaque sunt etiam hostes: latè Camerarius 2. *meditat. cap.* 64. *& centur.* 3. *cap. ultim.* Laudique datum Herculi illi monstrorum domitori fuit, quòd primus permiserit cadavera hostium sepeliri. Aelianus *lib.* 12. *variar. historiar.* Cumque Græci contra copias Xerxis dimicaturi essent, omnes se juramento obstrinxerunt, hoc modo: Vi-

tam libertate pluris non faciam, neque deseram Imperatores; neque vivos, neque mortuos: sed eos è sociis, qui in prælio occubuerunt, omnes sepeliam, & ubi bello extitero victor, etiam Barbaros. Muretus 3. *variar. cap.* 10. Multa enim humanitati, quæ non homini debentur: quod allegat, & multa alia Albericus Gentilis, 2. *de jure belli. cap.* 23. Cadaver item hominis obærati, quò minùs sepeliatur, ullo modo impediri potest, *l. ne corpora* 38. *ff. de religios. & sumptib. funer. l.* 3. §. *non perpetuæ, versic. quo mandatur, ff. de sepulchr. violat.* Emanuel Soarez, *commun. opin. lit.* C. *n.* 1. Petrus Peckhius *de iure sistendi c.* 5. *n.* 23. Menochius *de arbitrar. iud. q. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 387. *n.* 16. Philippus Camerarius *cent.* 3. *c.* 99. Et execranda, nō ferenda est consuetudo, quæ aliud inducit. vid. Dn. Valentinum Arithmæum, *pericul. Academ.* 1. *Disp.* 3. *thes.* 2. Kornmannum *de miraculis mortuorum, part.* 9. *cap.* 36. *& seq.* Nec hæreticis honestam sepulturam denegandam esse, Waremundus de Ehrenberg, vult *lib.* 2. *de fœderib. cap.* 1. *num.* 93. *& seqq. multu, fol.* 66. *per l.* 9. C. *de hæreticis* Hûc pertinet, quod Optatus Milevitanus, *lib.* 6. contra Donatistas scribit: Quid referam etiam illam impietatem, de vestrâ conjuratione venientem: quia ad hoc Basilicas mundare voluistis, ut vobis solis cœmiteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica; ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum; si inter viventes fuerat certamen, odia vestra, vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo antè litigabas. Quid insultas funeri? &c. Estque, ex quorundam sententiâ sepultura, misericordiæ opus, 2. *Reg.* 2. *Tobiæ cap.* 12. Vitandi quidem sunt, errores illi duo, quos & rejicit Beatus Augustinus, *de cura pro mortuis, c.* 2 (1.) quo Ethnici putabant, sepulturam necessariam esse, ut animæ requiescere possint. (2.) quo quis putare possit, corporibus defunctorum adhuc sensum aliquem inesse. Sed tamen multiplex est utilitas sepulturæ tàm vivis, quàm defunctis; ut deducit Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de purgatorio, cap. ultim.* Cadaverantem manifesti usurarii, tamdiu, donec hæres de restituendis usuris caverit, arrestari potest. Et cadaver usurarii manifesti, non in Cœmiterio, sed alio in loco, citra omnem ceremoniam sepeliri debet. Imò talis de sepultura, si eam in Cœmiterio habeat, evelli potest, Dalner. *dict. loc. n.* 8. *&c.* Ac quomodò impii, ac impœnitentes sint sepeliendi, consuluit apud Bidembachium, *decad.* 8. *consil.* 6. Johannes Aepinus. De cadaveribus punitorum, an sepelienda sint, vel in aëre consumi debeant? alibi dixi, *lib. scilicet* 2. *politicor. cap.* 2. *num.* 28. § 1. *&* vide Speckhan, *cent.* 1. *quæst.* 9. Berlichium, *tom.* 5. *concluf.* 48. Kornmannum, *de miracul. mortuor. part.* 9. *cap.* 34. Paponium *lib.* 20. *tit.* 8. *arrest.* 4. Sunt & alii adhûc, quibus interdicitur Ecclesiastica sepultura: nempè excommunicati, qui

in tor-

in torneamentis moriuntur. &c. *Clement. 1. de sepultur. cap. 1. de torneament.* & adhuc magis, qui in duello moriuntur. Ab antiquissimo tempore, in consuetudinem immanissimam hæc habebant Frisones; ut occiso homine unius cognationis ab alterâ, occisum corpus non sepeliebatur à suis; sed suspensũ in loculo servabatur, & desiccabatur in domo, quousque ex contrariâ cognatione, in vindictam occisi, plures vel saltem unum, pro morte vicariâ trucidaret. Thomas Cantiprat. *lib. 2. miracul. cap. 1. §. 15.* Sed quid judicandum est de ijs, qui semetipsos occidunt? vid. Montaigne, *2. de essais, cap. 3.* Ferè nunc, à carnifice extrahuntur, & proijciuntur magis, quàm sepeliuntur. Refertur pro sententiâ D. M. Lutheri, quòd non penitùs ij damnentur; cùm inviti hoc faciant, & à Diaboli potentiâ superentur. Non tamen vulgò hoc dicendum esse ait, ne Sathanæ præbeatur occasio cædium faciendarum. Et probat nihilominùs, das man die Ceremonias politicas so steiff helt / das man sie durch die Schwellen zeucht / vnser Herr Gott (inquit ille) lasset sie dahin gericht werden / wie er einen per latronem zulässt getödtet zu werden. Magistratus soll gleichwol strenger damit sein; quanquam anima non simpliciter damnata. Ericæus, *in sylvula sententiarum, ex Lutheri & Melanchtonis, tùm privatis, tùm publicis rationibus, fol mihi 44. b.* Ad de Andreæ Celichii Bericht von den Leuten / so sich selbst entleiben. Cumque Diabolus Princeps aëris sit, & homicida simul: gaudium & tripudium ejus censetur, cum tristi hocce modo hominem occidit; indeque ferè turbæ & procellæ ventorum oriuntur, cùm seipsum desperabundus aliquis occidit. Sicut Angeli gaudent super uno peccatore, pœnitentiam agente, Gaudia verò sua Diabolus non in lætitiâ & dulcedine peragere solet; sed in turbine & furore, prout est spiritus turbidus & furiosus. Henricus Kornmannus, *de miraculo mortuorum, part. 7. nu. 76.* Etiâm circa infelices homines illos, qui sibi ipsis inferunt manus, mira accidere solent. Avehenda interdum fuerunt cadavera illorum, per longum iter, ut in profluentem culeo insuti projicerentur: bennæ, vel carro impositos, equi in descensu collium, vix trahere potuerunt; in ascensu verò, equis non fuit laborandum, cùm spontè incitato cursu, equus ferretur. Lavater. *de spectris, part. 1. cap. 17.* Pœnam etiam illorum fusè recensèt Elbertus Leoninus, *in processu Criminali, ad Tit. Cod. de bonis eorum, qui ante sentent. mort. sib. consciver. &c.* addens: ex quâcunque causâ quis se interfecerit, sive tædio vitæ, sive ex impatientiâ doloris, sive metu criminali, sive aliâ ratione; corpus in sterquilinio cum canibus communem sepulturam habere, *gl. in can. placuit. 33. quæst. 5.* Roman. *singular. 262. incip. Fui interrogatus,* Jacobinus de Sancto Georgio, *in tract. de feud. §. dicti q. vasalli, num. 19.* hâc etiam de re insignia,

& ad usum, praximque pertinentia exempla Decius habet, *consil.* 438. Sed nec tamen interfectio sui ipsius, justa causa est, ut Dominus filiis, vel agnatis possit auferre feudum, Bald. *in cap. 1. Tit. quib. mod. feud. amittatur.* Jacobin. de S. Georgio *dicto loco*, Clarus §. *feudum, quæst.* 8. Claudius Martinus Delrio, *disquisit. Magicar. lib. 5. sect.* 19. Qui durante, inquit, reatu, sibi mortem consciverunt, ij non sunt sepeliendi Ecclesiastica sepultura; sed cadaver deberet à Judicibus in furcam agi: fatetur equidem sententiam contrariam esse communiorem, putat tamen crimen non extingui morte, verùm moriendo novum committi crimen. Eos autem cõsanguineos, & amicos, qui reis in carcere venenum, vel laqueos, vel cultros suppeditant, vel violentas sibi inferunt manus, ad ignominiam evitandam; non dubitat teneri Cornelia de sicariis lege. Si verò non vi sibi illatâ, sed ægritudine, vel debilitate, aut carceris incommoditatibus ante sententiam morerentur; in his sequitur ille sententiam communem: adeò ut si in talem legitimè confessum, aut convictum, sæviens Judex, eum non patiatur Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, mortaliter peccet, injuriarumque actione, conveniri à defuncti propinquis possit. Et porrò de εὐθανασίᾳ, variè tàm Philosophi, quàm Theologi, & Jureconsulti agunt. B. Augustinus, *de civitate Dei, lib. 19. cap.* 4. Stoicis eam sententiam adscribit, mala si tanta fuerint, ut ea sapiens, vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eam mortem sibimet inferre, atque ex hâc vitâ emigrare. vid. Lips. *Stoic. Philosoph. lib. ult. dissert. 22. & seq.* Joh. Combachium, *lib. de homine, cap. 15. fol. 215.* Adde Senecam, *epist. 12. 24. 58. 70. & 77.* Ejusque opinionis vestigia adhuc reliqua esse videntur in jure nostro. Emund. Merill. *observat. 1. cap. 23.* Erasm. Ungepaur. *exercit. 1. thes.* 10. Quorum institutum Cato sequutus, cùm Cæsaris victoriam non ferret, se interemit. Brutus, manu sua hostem effugit: Plutarch. *in vitâ*, & Demosthenes eo fine semper venenum secum habebat. Plutarchus *in vitâ.* Et Lucretia, cùm ignominiam illati sibi stupri impatienter ferret, violentas sibi intulit manus. Cleombrotum ferunt, lecto Platonis libro, ubi disputat de animæ immortalitate, se præcipitem de muro dedisse, atque ex hâc vitâ migrâsse ad eam, quam credidit meliorem. Gymnosophistæ item semet occidere, laudi ducebant. Lucan. *lib. 3. vers.* 241. hosque imitatus fuit Philosophus ille, Peregrinus nomine, cujus mortem graphicè describit Lucianus, *tom.* 4. Quorum sententiam, in universum damnavit Sanctus Augustinus, *lib. 1. de civitate Dei, cap. 17. 19. 20. 22. & seqq.* Non frustrà, inquit, in Sanctis Canonicis Libris, nusquàm divinitùs præceptum, permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendive mali caussâ, nobismetipsis necem inferamus.

mus. Quam eandem sententiam eleganter etiam, Cicero, *in somnio Scipionis* expressit, & inter alia scribit: Nisi Deus, is cujus hoc Templum est, omne quod conspicis, istis de corporis custodiis liberaverit, hûc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hâc lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, qui dicitur terra. Quare & tibi piisque omnibus retinendus est animus in custodiâ corporis; nec injussu ejus, à quo ille est nobis datus, ex hominum vitâ migrandum est: ne munus humanum assignatum à Deo, defugisse videamini. Hincque Aristoteles, *3. Ethicor. ad Nicomach. cap. 7. & lib. 3. ad Eudem. cap. 3.* definivit: Mori, ut vel paupertatem, vel amorem; vel molesti quidpiam fugiamus; fortis viri minimè est, sed potiùs timidi: quippe cum laboriosa fugere, mollities sit, neque hanc mortem sustineat quispiam, quia honestum sit, sed ut malum fugiat, & evitet; Et quoque eos, qui non exspectatâ naturæ aut hostis dimissione, præproperè regressum parant non beatos Vergilius putat, cùm ait:

Proxima deindè tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes peperêre manu, lucemq; perosi
Proiecêre animas, Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!

Solent verò in contrariam partem adduci exempla Sanctorum: ut Samsonis, *Iudic. 16.* Rhasis, *lib. Maccab. 2. c. 14.* illarumque Sanctarum fœminarum; quæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se flumen projecerunt: eoque modo sunt defunctæ, & earum tamen martyria, in Ecclesiâ Catholicâ, celeberrimâ veneratione frequentantur: ut docent Eusebius, *histor. lib. 8. cap. 12. & 17.* ac B. Augustinus, *1. de civit. Dei, cap. 29.* Sed ubique locum forsan habere potest, quod de Samsone dicit Lyra, *ad cap. Iudic. 16.* Non Samson intendebat se occidere per se, sed per accidens tantùm: quia non poterat blasphematores Nominis Divini occidere, nisi seipsum cum eis occidendo. add. R. P. Ludovic. Richeome, *in valedictione animæ devotæ colloquio 15. & seq.* Et forsan in classem eorum accensendi sunt, qui in nauticis bellis, pulverem pyrium incendunt, ut effugiant in famem necem, & simul de hostibus vindictam sumant: exempla Thuanus habet, *lib. 59. fol. mihi 158.* & Laurentius Müller / in der Septentrionalischen Historien / *part. 1. fol. 7. & 8.* De Saulis verò αὐτοχειρίαις & consectariis, singularem tractatum edidit Michael Rothardus Mülhusius, Sacosanctæ Theologiæ Studiosus, Francofurti, Anno 1615. impressum.

III. Sepulchra, eorumque jura, Sacra fuisse antiquis, docent Paulus Manutius, *de Legibus*, Cælius, *lib. 17. antiquar. lection.* Claudius

Guichiardus, *de funeribus, lib. 1. cap. 1. & 13. & lib. 2. cap. 2.* ac adparet idem ex legibus multis, per totum penè titulum *ff. de religios. & sumptibus funer. ac ff. de sepulchr. violat.* Interque Leges XII. Tabularum & una erat: Fori (ita vestibulum sepulchri vocitâvere) bustive, æterna auctoritas esto. Est enim sepulchrum, ut Ennius dicebat, portus corporis, ut Tertullianus, asylum mortis, ut Constantinus Imperator, domus defunctorum. Proximumque sacrilegio majores semper habuerunt, violare sepulchra. In pari religione fuit, corporis sepulchrum, & sepulchrum animæ corpus. Etsi item Thesaurus, aut pecunia in monumento inventa, religiosa non sit; nihilominùs sepulchrum violatur, cujus lapis movetur, terra sollicitatur, cespes volvitur, pecuniæ sumendæ caussâ. Nefas est, ait Cassiodorus, corpus, quod mundanas molestias semel reliquerit, pati iterum insidias humanas. Nam etsi cadavera non sentiant furta; attamen ab omni pietate est alienum, quicquam mortuis abrogare. Aerodius *rer. iudicat. lib. 6. tit. 9. cap. 1.* Imò lapsa & corrupta monumenta reficere non licebat; nisi Pontificis permissu: & eâ conditione, ne corpora tangerentur. Tantum abest, ut sepulchri conditionem, deteriorem facere permitteretur, ut meliorem non liceret. Etiam postea quàm justæ atque perpetuæ sepulturæ, corpora tradita essent; nisi ex gravissimis caussis non transferebantur, *l. 39. ff. de religios. & sumptib. funer. l. 1. ff. de mortuo inferend.* Sepulchrum est quidem terminus mortuorum. Quòd si agrorum, finiumque terminos movere, piaculum est; quantò magis defunctorum? Aerodius *ibid. cap. 4.* Agitque de sepulchro violato, & pœnâ illorum, qui effodiunt atque spoliant cadavera sepultorum, pluribus Berlichius, *tom. ult. concluſ. 47.* Culpat in Cambyse, Herodotus, *in Thalia*, quòd vetusta adperuerit sepulchra, & conspexerit in illis jacentia cadavera mortuorum. Quâ curiositate adhuc multi laborant, Quidam etiam, jocum ducunt, cœmiteria prisca prophanare, inibi ædificare, fodere, & cadavera projicere inventa: quo sanè demonstrant abundè, religionis se planè omnis incurios, & omninò Epicuræos esse. In eosq; invehit Georgius, Pisto rius Villinganus, *de materia Dæmonum, fol. mihi 20. &c.* Videant ergò, ait, quis furor hos divexit, qui Sacra, ubi Spiritus Sancti requiescunt organa, cæmiteria prophanant; & ibi sepultorum ossa, in cibum parant Zazelo, Dæmoni, cujus libro 3. Regum, mentio habetur: & apud Pausani am ex Delphorum historiis, Eurynomum vocatum legimus. Et addit: Civitatum invenias proceres, qui Christianiùs factum opinantur, si diruant, lacerent, & prophanent illa loca sacrata; ut in his ad furiosum Tympani boatum attellanas juventus saltet, & Jo Pæan clamet: aut triobolares vetulæ, in his vilia scruta vendant, seu lupinos; quàm Deum pro animarum salute Sactis Orationibus

nibus expiâsse, vel panem esurientibus fregisse. Et hoc plùs quàm Ethnicum est, Nam Ethnicis ritè sepeliri magnum fuisse, ex Homero & Vergilio, aliisque constat. Putabant enim non ritè sepultum iram fieri Deorum. Eorumque religio habuit superstitiosa, animam inhumati, intelligibilis essentiæ expertem, ac furentis phantasiæ imperio relictam, corporearumque qualitatum cruciatui subjectam esse, (Evestrum Paracelsus vocare videtur) sic, ut corpus existens aëreum, aliquandò umbrâ circùm amictâ, amicos alloquuntur, & hostes interdùm ulciscendo malè excogitet. Undè Dido ad Aeneam,

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Suetonius simile adducit, de cadavere Caligulæ Imperatoris, in horto Lamiano, non ritè sepulto. Hoc enim, quia levi saltem cespite fuerat tectum valdè multùm possessores horti, nocturno impetu inquietavit; donec per sorores ab exilio reversas, iterum erutum, & ritè tumulatum fuit.

CAPUT II.

Quomodo, & ubi mortui sepeliendi?

AN debeant Sepulturæ esse extrà civitates, aut propè Eccclesias? Disputat Waremundus, *lib. 2. de fœderib. cap. 1. num. 104. & seq. item. num.* 110. & item Rodolphus Hospinianus, *lib. 3. de Templis, cap. 1.* Olim extrà civitates, in agris habebant sepulchra tempore Judæorum. Pausanias sepulchra multa extrà urbem posita, nullum urbanum commemorat. Et fuerunt olim sepulchra tantùm privata, §. *Religiosum 9. & ibi Dd. Instit. de rer. divis. l. 6. ubi Corrasius, ff. eod. tit.* Ex lege tamen XII. Tabularum non ea fieri poterant in urbe; Hominem mortuum, in urbe ne sepelito, néve urito. Rittershusius *ad Leges XII. Tabularum, Class. 1. cap. 3.* & firmatur etiam *l. 3. §. 5. ff. de sepulchr. violat.* Quamobrem Dio *lib.* 44. scriptum reliquit; singulariter Julio Cæsari sepulchrum inter mœnia concessum fuisse. Sic & Adrianus, in foro sepultus fuit. Ratio prohibitionis sepulturæ fuit, ne locus publicus privatâ religione obligaretur; ne Sacra civitatis funestarentur. Aerodius *rer. judicatar. lib. 3. tit. ult. c. 1. & lib. 6. tit. 9. cap. 2.* Valuit hic mos etiam aliquandiu, Christianismo constituto; ne frequentiâ sepulchrorum, urbs tandem non à vivis, sed à mortuis incoleretur. At quod falsâ religione impediebatur, verâ concessum fuit; permisitque Leo Imperator *Novell. 53.* ut cuique tàm intrà civitates, quàm extrà liceat mortuos sepelire. Id postea restrictum fuit, ut fieret non passim, sed in Cœmiteriis, Aerodius *dict. cap. 2.* Et quoque Christiani, Cœmiteria publici juris effecerunt:

effecerunt: quin & Exequiæ, ejusdem juris à Constantino Imperatore factæ fuerunt. *Novell. 43.* ubi Joachimus Stephani. Certè, ut mortis nunquàm obliviscamur; in celebrioribus, & juxtà Ecclesias plerunque, Cæmiteria esse voluerunt majores nostri; tandemque ipsis in Ecclesiis, Martyribus primùm solummodò destinatis, etiam sepeliri alii cæperunt. Petrus Gilkenius *ad L. 2. in princ. C. de Sacrosanct. Eccles.* Bellarminus, *lib. ult. de purgator. cap. ultim.* Nec ampliùs morticinia immunda sunt ossa & cadavera piorum: utpotè Sacro Baptismo abluta, & ita salvifico Christi sanguine conspersa; cessavitque hâc in parte Levitica vetus Lex, vide Bellarminum, *lib. 2. de beatit. Sanctor. cap. 3.* quæ nullam adeò immunditiam detestatur, ac contagium mortuorum. Paulus Ricius, *de Mosaic. leg. mandat. negantib. num. 235.* Apud Ethnicos item funestæ reputabantur illæ ædes, ubi mortuus esset. Mos etiam fuit, ut ad fores ædium privatarum, tantisper dum illæ funestæ essent, & dum cadaver efferebatur, vas magnum statueretur aquâ lustrali plenum, quæ esset è domo non funesta allata: quâ sese quisque ex eis aspergeret, qui exequias venerat. Pollux *lib. 8.* Nec dissimilis fuit ritus apud Romanos: Festus: Funus prosequuti redeuntes, ignem supergrediebantur, aquâ aspersi: idque genus purgationis suffitionem indigitabant. Fuitque apud Judæos, similis lavationum & purificationum usus, quas Syracides *cap. 34.* βαπτισμὸς ἀπὸ νεκρῶν, adpellat. Apud Romanos, Dialis flamen, cui tàm multæ Ceremoniæ impositæ fuerunt, locum in quo bustum esset, nunquàm ingrediebatur, mortuum nunquàm attingebat: funus tamen exequi, non illi religio erat. Agell. *lib. 10. noct. Attic. cap. 15.* Cæterùm propter hanc causam institutum olim fuit, ut indicia adponerentur foribus funestæ domus; ut de aquâ lustrali, jam modò dixi, eodemque spectabant capilli, de ipsius defuncti capite secti, qui foribus adpendi soliti fuerunt. Eurip. *in Alcest.* Non video ante portam, ut lex est, fontana lavacra pro mortuis in porta; nulla coma præcisa est in vestibulo: quæ accidunt in luctu mortuorum.

II. Magistratus quoque cavere debet, ut mortui non statim sepeliantur. Lege cautum esse convenit, scribit Levinus Lemnius, *lib. 2. de occult. natur. miracul. cap. 3.* ne libitinarii ac Vespillones, præpropere quos mortuos existimant, extinctæque animæ speciem præbere vident, loculo includant: eos præsertim, qui apoplexiâ, aut morbo comitiali, uteriq; strangulatione suffocantur, cùm in illis nonnunquam anima delitescat. In febribus autem contagiosis, vel cùm homines peste feriuntur, non consultum arbitratur ille, tàm anxiè ista observari. Sed verò etiam exempla sunt in promptu, ubi peste affecti nec dum mortui sepulti, fuerunt. Cujus rei memorabile est exemplum Coloniæ Agrippinæ,

ad San-

ad Sanctos Apostolos in tabulâ depictum: quod refert ex Petri Mersæi Catalogo *Archiepiscopus Colonienſis*, Kornmannus, *de miracul. mortuor. part. 2. cap. 16.* vide & Simonem Goulard, *hist. de noſtre temps, lib. 2. fol. mihi 362. & lib. 4. fol. 659.* qui consimiles historias plures congessit. Fertur & de Johanne Duns Scoto, celeberrimi nominis Theologo; eum apoplexiâ correptum, exanimem reputatum, nimis festinato funere, ad sepulchrum in choro sui Ordinis fuisse tumulatum: eumq; deindè morbi violentiâ cessante, ad se reversum, pulsato frustrà sepulchro, & miserabili mugitu edito, elisoque tandem capite, Coloniæ periisse. Verùm id fide carere, Magnificus Hervvartus probat, *in Mantissa, contra Bzovium, fol. 31. &c.* Nonnunquàm sanè moribundæ animæ, in corporibus latent, vehementioribus ecstasibus oppressæ, & ab omni corporeâ actione solutæ; quod accidit sæpè mulieribus matricis laborantibus suffocatione. Colerus, *Oeconom. lib. 18. c. 113.* Hincque olim mortui calidâ abluebantur, & per intervalla conclamabantur, Kornmannus, *part. 7. de miraculis mortuorum, cap. 56.* Zeno Imperator morbo comitiali arreptus, mortuus videbatur; & vivens sepultus fuit. Satellites, qui ad sepulchrum, in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt; se per duas noctes, lamentabilem audivisse vocem, ex sepulchro elatam: Miseremini & aperite mihi. Cùm illi dicerent, alium jam imperare. Nil, inquit, curo, in Monasterium me abducite. Sed cùm, ab uxore prohibiti custodes non adperirent; ferunt, aliquantò pòst, monumentum fuisse recluſum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame, suos ipse manducarat lacertos, & caligas, quas gestabat. Zonaras, Cedrenus, & Baronius. Aegyptii; ne funerum curatores cum mortuis venerean rem exercerent; noluerunt cadavera ante quartum diem sepeliri. Herodotus *lib. 2.*

CAPUT. III. & ultim.

De Ritu, & sumptibus Funerum: Luctu item, ac Spectris oberrantibus circa Sepulchra.

COnvenire, honorem aliquem defunctis adhiberi; nemo negare potest: nisi qui putet, mortuos planè ampliùs nil esse. Jacobus Martini, *Disput. Ethic. 10. quæst. 7.* Undè etiam *lib. 1. Rhetoricor.* Aristoteles, inter honoris species enumerat sepulchra, & alia, quæ mortuis tribui solent. Et piè mortui, etiam post obitum, non solùm vitam beatissimam vivunt; verùm & suo modo, in posteris nempè & amicis, hominumque memoriâ adhuc in mundo superstites sunt; quâ ratione etiam posterorum eventa, aliquo modo pertinent ad defunctos. Defunctorum quidem magis propria est fama, & viventium honor: ut autem propterea fama non viventibus, sic neque honor defunctis est denegandus. Hûcque spectant varii,

variarum gentium funeris ritus; quos indicat Alexander ab Alexandro, *lib. 3. genial. c. 7. & etiã c. 2. lib. eod.* & singulari libro persequutus est Johannes Kirchmañus, *in opere de Funerib. Romanorum*, Joh. Rosinus ibiq; Dempsterus. D. *Antiq. Roman. lib. 5. c. 39. &c.* & quædam habet Kornmannus, *de miraculis mortuorum, part. 7. cap. 34. & seqq. multis.* Ac speciatim de sepulturâ Imperatorum, agit Julius Cæsar Bulengerus, *lib. 3. de Imperatore, cap. 19.* Et ut nos nunc nolas ac campanas; ita olim tibicines; tàm Gentiles, quàm ex eorum imitatione Judæi, ut lugubre canerent, funeri adhibere solebant. Cardinalis Baronius *ad Annum Christi 31. num. 28.* Abrahamus Scultetus, *in elegantißimis observationibus in Matthæum, cap. 29.* Refert ex Rabbinis Cardinalis Baronius quoque, *ad Annum Christi 34. num. 91.* tantum olim excrevisse apud Hebræos funerum impensam, ut interdùm ejus magnitudine cognati perterriti, qui impares essent ejusmodi profusionibus, relicto cadavere, se subducerent adtempus. Verùm hæc moderata fuisse à seniore Gamaliele. Sanè ridicula, & improbanda meritò est ambitio illa, quæ etjam pòst mortem, in multis mortalibus se extendit. Non enim (quod infirmorum est) solliciti nosmetipsi esse debemus, de nostrâ sepulturâ. Beatus Augustinus *confeß. lib. 9. cap. 11.* & Satyricè exagitat tales Michael Montanus, *des essais, lib. 1. cap. 3. fol. mihi 12.* & etiam Leonardus Aretinus, *epistol. lib. 6. epistol. ad Poggium, fol. mihi 246.* Ipsorumque testatorum ineptæ & ambitiosæ voluntates, circa sua funera, justa & monumenta, executioni mandari prohibentur, *l. servo alieno 113. §. ult. ff. de legat. 1.* Utque Solon Athenienses præscripserat leges, de sumptibus funerum moderandis: ita ad illius imitationem idem etiam Decemviri fecêre. Sumptum minuito; tria, si volet, reicinia (vestimenti genus erat) & vincula purpuræ, & decem tibicines adhibeto: Hoc plùs ne facito. Acalibi: Rogum ascia ne poleito. Rittershusius, *ad Leges XII. Tabularum, Class. 1. cap. 4. & seq.* adde Aerodium, *rerum iudicatarum, lib. 3. tit. ultim. cap. 3.* Non sanè mos sepeliendi mortuos cum vestibus & ornamentis, rationabilis esse videtur. Dominicus Arumæus, *lib. 1. decis. in Coronid.* Nec enim est quòd putemus cum Rabbinis; qui induti tumulo conduntur, indutos resurrecturos. Ricius *de Thalmudicâ doctrinâ, fol. 261.* More item hodierno, apud Italos usitatum est, & olim quoque fuit, cadavera defunctorum, preciosissimis vestibus induta, & lectis splendidè exornatis imposita; palàm publicè efferri. Hocque etiam apud Græcos Imperatores usitatum fuisse, ex Pomponio Læto adparet, ubi dicit: Cùm defuncta Fabiæ, conjugis Heraclii funus efferretur, puellam sorte quadam per fenestram spuisse, tetigisseque elatum cadaver; ideoque illam, nullâ factâ morâ comprehensam, & rogo Fabiæ impositam, vivamque fuisse exustam. Non rarò pariter Itali solent faciem fucare præsertim fæminarum; ut mortuæ interdum, quàm viventes, adpareant

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [108] · 106

venustiores: ita ut non cadavera, sed statuæ videantur. Verùm quando cadavera detrita, vel alio casu mutila, propter deformitatem, publicè oculis exposita, efferri non potuerunt; loco eorum, vel larvæ quædam supponebantur, vel planè involvebantur, vestibusque mortui contegebantur, quæ indè funera larvata dici solebant. Gallis, dicente Cæsare, funera olim magnifica, & sumptuosa erant; omniaque quæ vivis cordi fuisse arbitrabantur, in ignem inferebant, etiam animalia, imò servos & clientes. Lithuani olim corpora mortuorum, cum preciosissima suppellectile, quâ vivi maximè utebantur, cum equis, armis, & duobus venatoriis canibus, falconeque cremabant: servum etiam fideliorem vivum, cum Domino mortuo, præcipuè verò magno viro, cremare solebant. Guagnin. *in Lithuan. descript.* De more Americanorum, vide Louis Guyon, *tom. 1. de divers. lecons, lib. 5. cap. 3.* Cur autem cum Thesauris, olim sepulti fuerint Reges, notat Apollinar. Calderini. *discors. fol. mihi 55.* & Guyon *modò dicto loco.* In Islandiâ quondam, indignus præclaro parente habitus filius fuit, qui in armis minùs posset: utque posteri cum majorum rerum gestarum gloriâ magis contenderent; vetuerunt bona parentum armis quæsita, ad filios devolvi hereditario jure: quin ea potiùs, cum defunctis Dominis inhumanda censuerunt: ut sunt aurum, argentum, gladii, clypei, equi, &c. Arngrim. Jonas, *de Islandiâ, lib. 2. ad fin.* Salomon, ut est apud Josephum, *lib. 7. antiquit. cap. ultim. & lib. 1. de bello Iudaico, cap. 2.* præter alia sollemnia in funerationibus Regum, ingentem admodum pecuniæ vim intulit patrio sepulchro: de quâ multis annis pòst Hircanus Pontifex, cùm ab Antiocho Pio, Demetrii filio oppugnaretur, tribus talentorum millibus desumptis, hostis obsidionem solvit. Ex eodemque sepulchro, Herodes Hircanum imitaturus, multa aurea, aliaque abstulit ornamenta; ulteriùs verò ad conditoria, in quibus Davidis & Salomonis corpora sita erant, progressus; flammâ indè erumpente, quæ duos ex Satellitibus ipsius exanimaverat, ab incepto deterritus fuit. Josephus *antiquitatum lib. 16. cap. 11.* At Sacræ paginæ auctoritate monemur, nudum hominem in mundum intrâsse; nudum indè abiturum. Nudus ergò & moriens, de omnibus quæ habuit in hac vitâ, præter amiculum ferale, nil secum ferat: nec enim in arenam descendit, ubi festivitates & choreas ducet, sed à vermibus consumetur. Aedificia cineres tegant, inquit Cassiodorus, 4. *varior.* 34. columnæ vel marmora ornent sepulchra; talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt: imò culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, undè se vita viventium sustentare potest. Sicque Epitaphia, & Sepulchra magnifica magnatum, passim cõspiciuntur. Ast & vanitas maxuma est in superbis Mundi sepulchris. Væ vobis, qui ædificatis sepulchra Prophetarum: dicebat Dominus ad Pharisæos. Odio hi capitali prose-

quebantur Christum Dominum Prophetarum, & volebant se justos declarare, extruendo magna sepulchra Prophetis. Pariter & in mundo, multi superba Principibus erigunt monumenta, quod quidem videtur quàm plurimis esse opus pium: veruntamen nimij quos in illa impendunt sumptus clamant, auctores plenos esse dementiæ & vanitatis. Faciant quod velint, laborent quantum velint; post mortem alii non erunt, quàm vilissimi & pauperrimi mendici. Et volunt quidam hoc tantâ falsitate palliare, ut in medio templi structuram illam erigant usque ad velum: in vanum tamen struunt, quia mors æquo pede omnia pulsat. Quid in sepulturis faciunt insignia & arma? Magis ad vivum intimeque repræsentant se res ipsæ, & quid sint dicunt, quàm picturæ. Corpus defuncti, originis suæ veritatem proclamat, nõ forinseca pictura, quæ est mendax & falsa &c. Didac. Stella. *part. 1. contempt. vanitat. mundi, cap. 89.* Quàm variæ etiam ipsis Epitaphiis, sepulchraliumq; inscriptionibus adhuc sæpè insunt de rebus vitiosis & frivolis, gloriationes? Quando alius corporis sui formam, aut robur, alius ingenii sui acumen, alius varias peregrinationes, alius eloquentiæ, aut fortitudinis suæ vim, alius divitias & honores suos; alius suam in hostibus etiam sepeliendis humanitatem, & pietatem; alius victorias & prælia; alius denique hujus alius alterius artis, vel virtutis præstantiam jactat: quæ tamen à morte immunem eorum neminem præstare potuerunt. Quàm varia quoque mortis genera repræsentantur? Quando alius piè, alius impiè, alius domi, alius peregrè, alius ab hoste, alius ab amico, alius per insidias, alius per apertam vim, alius præcipitio, alius submersione, alius suspendio, alius veneno; alius laboribus & vigiliis, alius segnitie, & ignaviâ; alius morsu felis, aut canis, vel calce equi; alius juvenis, alius senex, alius sponsus, alius viduus; alius remedium quærendo, alius respuendo, alius cùm spe vitæ melioris, alius desperabundus, alius cur moriatur nescius, alius denique αὐτόχειρ, aut alio casu inaudito, & admirando perit. Et videre quoque est in ijs, quàm diverso affectu superstites, mortem suorum ferant; alii enim irascuntur, alii indignantur, alii Deo ipsi maledicere non verentur, alii lamentantur, alii queruntur, alii mortuis blandiuntur, alii æquo animo, spe resurrectionis se consolantur; alii mortuis commori, alii suâ morte redimere vitam illorum, ut videtur, cupiunt; atq; ita deinceps. Quædam item Epitaphia, eo fine posita videntur, ut inanibus quæstiunculis posteros divexent. Quale est illud propè Bononiam in quadam villâ: Aelia, Lælia, Crispis; nec vir, nec mulier, nec androgyna; nec puella, nec juvenis, nec anus; nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia. Sublatâ neque fame, neque ferro, neque veneno, nec igne, nec peste: Sed omnibus. Lucius Agatho Priscius, nec maritus, nec amator, nec necessarius; neque mœrens, neque gaudens, neque flens. Hanc, nec molem, nec Pyrami

dem

dem, neque ſepulchrum; ſed omnia: ſcit & neſcit, cui poſuerit. Hoc eſt ſepulchrum intùs cadaver non habens; hoc eſt cadaver extrà ſepulchrum non habens; ſed cadaver idem eſt, & ſepulchrum ſibi. In monumentum hocce Commentarios ſcripſerunt, Johannes Thurius Brugenſis, & Richardus Vitus, Patavii impreſſos. Sed verò Nicolaus Barnaudus, libello ſingulari eviciſſe ſe putat, ibi Arcanum Philoſophorum nunquàm forſan manifeſtandum latere, vel edoceri. Cui conſimilis eſt, quæ propè Florentiam in Cœnobio Sancti Benedicti, habetur figura (cujusque deſcriptionem ex Johanne Sternhals, in Duello Solis & Martis, refert Henricus Kornmannus, *de miraculis mortuorum, part. 8. cap. 29.*) idem illud Myſterium obſcurum, obſcuriùs adhuc reddens. Porrò & in luxum Epitaphiorum, funerumque nimias expenſas, invehitur quoque Jacobus Graſſerus, *de antiquitatibus Nemauſenſibus, fol. 67. & aliquot ſeqq.* Nec leve ſeculi noſtri vitium eſt, quòd multis in locis, tàm inſana Epitaphiorum frequentia exiſtit; ut poſteri ne quidem pro unico verſiculo ſpacium ſint reperturi. An verò hoc indicium eſt, cùm omnes parietes jam ſint repleti; hoſtes eos deſtructuros mox, & viam aliis ferro & ruinâ facturos? Aliter & hæc priſco illo, ac modeſto more, (quem Naſo, *lib. 2. Faſtorum* deſcribit) adminiſtrabantur;

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt Manes; pietas pro divite grata eſt
Munere: non avidos Styx habet ima Deos.

II. An aliquid pro ſepulturâ accipere prohibitum ſit, diſceptatur? Et licet Jure Canonico deciſum ſit, nec ratione loci vel terræ, in quo defunctus ſepelitur; *cap. abolendæ 13. extr. de ſepultur. can. in Eccleſiaſtico, cauſ. 13. quæſt. 2.* nec ratione officii exequiarum, aliquid exigi poſſe, *cap. non ſatis 8. cum ſeq. extr. de Simon. dict. cap. abolendæ, ubi gloß.* Simoniacum etenim habetur, pro adminiſtrandis Sacramentis, vel locis Sacris & religioſis accipere quid, *cap. cùm in Eccleſiæ 9. vers. nec non eſt proſepulturis, cap. ſuam nobis 29. cap. audivimus 41. extr. de Simonia.* Adeò, ut ſi vel pecunia, vel aliud quiddam, ſponte liberaliterque hoc nomine offeratur, id accipi non poſſit. (hem durum multis verbum) Ripa *de peſte, cap. de remed. præſervat. num. 112. & ſeq.* Attamen hoc fallit, ſi conſuetudine ſit introductum, ut nomine ſepulturæ, Laici aliquid præſtare cogantur: maxumè ſi Clerici non habeant aliundè, unde vivant. Everhardus Speckhan, *cent. 1. quæſt. 6.* Salazar, *in tract. de conſuetudine. cap. 10. num. 22. &c. fol. mihi 290.* Ac quæ in contrarium adduci ſolent, procedunt in conſuetudine proveniente ex ſolutione coactâ; aliudq; eſt in eâ, quæ introducta fuit, ex piâ & laudabili fidelium devotione. Aloyſius Riccius, *in praxi fori Eccleſiaſtici, deciſ. 665.* Sicque & improbatur, quòd

olim quibusdam in locis, sepultura denegabatur, decedentibus ab intestato, Paponius, *lib.* 20. *tit.* 8. *arrest.* 1. *& seqq.* Competit autem Ecclesiæ Parochiali, tantummodò jus sepeliendi, omnes intrà Parochiam decedentes: etiamsi sint exteri & forenses, habentes hospitium in civitate. Riccius, *decis.* 659. Sed electio sepulturæ libera esse debet: ita ut non valeat pactum, eam restringens. Riccius, *decis.* 662. Conferri verò in arbitrium potest, *decis.* 663.

III. Lugere item, licet conveniat defunctos: Syrac. *cap.* 38. Petrus Gregorius Tholosanus, *Syntagm. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 10. luctus tamen omninò moderandus est. Dalner, *de iure hominis, lib.* 1. *part. ult.* Neque lugendi sunt defuncti, more Hibernorum; ubi ut primùm unus ex his, qui in honoribus populi versantur, halitum extremum efflat; videre licet complures mulieres, per vicos & campos cursare, lupino ululantiq; clamore, omnium obtundere aures. At verò ubi Templum, in quo, mortuo parentatur, ingrediuntur, quanto ejulatu, Sacram complent ædem, non quis facilè dixerit. Buccis inflatis declamant, perquàm flebiliter eliciunt voces, redimicula ponunt, capita nudant, lacerant crines, feriunt frontem, latera intendunt, dilatant palmas, manus in cœlum extollunt, mortuorum cistas versant, diloricant operimenta, cadaver amplexantur, oscula infigunt, mortuum humari vix permittunt. Richardus Stanihurstus, *de rebus Hibernicis, lib.* 1. *fol.* 48. Et jam olim, ut in sumptibus ac expensis; ita & in luctu modum excedebant ad insaniam usque Gentiles. Quid enim aliud facerent, qui nullam spem habebant certam, restare aliquid sui post mortem. Quò respexit Beatus Paulus, 2. *ad Thessalonic. c.* 4. *v.* 13. ubi vetat Christianos ad hoc exemplum mortuos suos lugere. vid. Jodocum Clichtoveum, *de doctrinâ moriendi, cap.* 2. Nec mirum, hos mores improbatos Apostolo fuisse: cùm etiã displicuerint Ethnicis, si qui fuerunt saniores, eosque legibus latis studuerunt extirpare. Rittershusius *ad Leges XII. Tabularum, class.* 1. *c.* 6. Mortuos luctu decorare, aut non decorare, turpe legis latori cogere est, inquit Plato *lib.* 12. *de Legib.* imò Tyrannidi imputatur. At terminari omninò oportet. Aerodius, *rerum iudicatarum, lib.* 3. *tit. ult. cap.* 2. Nec certè luctus est procurandus, Herodis infanticidæ exemplo: qui ne sua funera luctu careret; ex omni Iudæâ, nobilissimos quosque comprehendi, & in Hippodromo concludi jussit, sororique præcepit, ut quam primùm animam efflârit, eos à militibus occidi curaret. Iosephus, 1. *de bello Iudaico, circa finem.*

IV. Vulgi famâ receptum est, circa sepulchra Dæmones ac spectra plerumque versari: B. Chrysostomus *homil.* 35. *in Matthæ.* Hieronymus Magius, 2. *miscell. cap.* 12. ac legimus etiam in Historiâ Sacrâ, quòd Dæmoniaci habitârint in monumentis, undè adorti & aggressi fuerunt prætereuntes, *Matth.* 8. Et indè Catholici cœmiteria consecrant, ut Diaboli

boli minùs ibi potentiæ haberent. Concil Meldens: *can.* 72. Et putaverunt Platonici, tertium quid inter animam & corpus medium eſſe, quod ita ad tempus circa corpus verſetur. Undè Ovidius:

Bis duo ſunt hominis, mens, caro, ſpiritus, umbra;
Quatuor iſta loca bis duo ſuſcipiunt.
Terra tegit carnem, tumulum circumvolat umbra,
Orcus habet manes, Spiritus aſtra petit.

Quam opinionem etiam habere puto Paracelſum, (*quem vide in ſermone de Antichriſto fol.* 87.) qui umbram illam Eveſtrum vocat. Spectra etiam talia, ut plurimùm adparent, ubi prælia commiſſa fuerunt. Sicque Felix Malleolus, vir multijugæ lectionis, *lib. 2. de nobilitate, cap.* 30. ſcribit: in Hiſtoriâ Regis Rodolphi Habspurgenſis inveniri; quòd Rex Rodolphus, cùm Ottocarum in prælio viciſſet, in campo pernoctârit; ibique circiter mediam noctem, ingentem numerum Spirituum viſum, mirabiles ſonitus, & tinnitus auditos: pòſt ibi etiam Lemures, ſive ſpiritus occiſorum in acie conſpectos fuiſſe. Ita & poſt cladem illam commiſſam inter Perſas & Athenienſes, duce Miltiade; quo pugnatum eſt loco, ſequutis temporibus armorum ſtrepitus, & equorum hinnitus, concurrentiumque inſuper clamores hominum ſimiles, noctibus ſingulis exaudiri ſolitos fuiſſe, Pauſanias refert. Pluribusque id debitâ operâ curioſiùs perſcrutari volentibus, haut parvo diligentiam ſuam ſtetiſſe ſcribit: cùm tamen rei illius ignaris, illuc fortè, ut fit, accendentibus nihil unquàm adverſi eveniſſe dicatur. Nicolaus Leonicus, *de var. hiſtor. lib. 2. cap.* 29. Nauclerus, Anno Domini MCXXIII. In pago, inquit, Wormatienſi, videbatur per aliquot noctes armata multitudo, equitum euntium, & redeuntium, & quaſi ad placita colloquia, nunc hîc, nunc illîc, facere turmas: circa nonam verò horam, cuidam ſe reddere monti, à quo exiſſe videbantur. Tandem quidam regionis, illius, huic prodigioſæ concioni, ſigno crucis ſe muniens adpropinquavit; quendam per Nomen omnipotentis adjurat, manifeſtare cauſſam populi, qui ſic adpareret. Cui ille: Non ſumus, ut putatis, Phantaſmata, nec militū videmur turmæ; ſed animæ militum, non longè antehâc interfectorum. Arma verò habitus & equi, quia nobis priùs fuerunt inſtrumenta peccandi; nunc nobis ſunt materia tormenti; & totum ignitum eſt, quod cernitis inn obis, quāvis id corporalibus oculis comprehendere nō poſſitis. Credebant ſanè multi, animas eorum, qui decedunt ante terminum conſtitutū, nempè morte quacunq; violentâ interempti, errare ad id tempus, uſq; quod aliàs victuri fuiſſent. Natalis Taillepied, del' *apparition des eſprits, c.* 21. Huicq; opinationi Judæi accedere videntur, qui dicunt, animā à corpore diſcedentem tamen corporis memorem eſſe, ac circa illud errare, & eos, à quo mors illi illata, vindicare. Et ſic quidam ex Rabbinis ſcribunt, animā Nabothi,

bothi, fuisse spiritū eum, qui suā operā promittebat in decipiendo Achabum, à quo interfectus fuit, ejusq; interitū expetebat: Taillepied. *dict. loc.* Lavater *de spectr. part. 2. c. 1. in fin.* Hærent & in eodem luto, Platonici quidam. Sicq; Beatus August *9. de civitate Dei, c.* 11 loquens de Plotino. Dicit & animas hominū Dæmones esse; & hominib. fieri lares, si meriti boni sunt; Lemures, sive larvas si mali. Manes autem Deos dici, cùm incertū est, bonorū eos, seu malorum esse meritorum. Macrobius, *lib. in somn. Cic. c.* 9. Anima, inquit, quam in se pronā corporis usus effecit, atq; in pecudē quodammodò reformavit, ex homine; & absolutione corporis perhorrescit, & cùm necesse est, non nisi cum gemitu fugit indignata sub umbras. Sed nec post mortē facilè corpus relinquit, quia non facilè corporeæ excedunt pestes. Sed aut suū oberrat cadaver, aut novi corporis habitaculū ambit; non humani tantummodò, sed ferini quoq; electo genere moribus congruo, quos in homine libenter exercuit. &c. Catholici quidā putant, particulare nonnullas animas purgatoriū pati in loco certo: & in testimoniū ejus rei, historiā mirā Bartholomęus Sibylla recenset, *Specul. peregrin. quæst. decad.* 1. *c.* 4. *q.* 2. Sed nostrates, cū Aenea Platonico Christiano, consentiunt, qui in Dialogo, de animæ Immortalitate, qui Theophrastus inscribitur, de umbris, versantibus circa sepulchra, scribit; eas esse Dæmonia pessima, simulantia animas humanas. Atq; eos, qui olim vitâ functū, evocare pollicentur præstigiis suis, non hominē carminibus suis excitare, sed Dæmonium quoddā, humanaq; effigie, simulachrum illud ostendere, & loqui & simulatq; Sol oritur, visionem evanescere omnem. Vanum ideoq;, & Juliani Apostatæ Magiæ, potiùs, quàm religioni cōforme est; quòd Necromantici, animas se mortuorum evocare posse gloriātur; sanguine & cadavere mediante. Umbrasq; ex illorum fumigiis facilè allici, additis ovis, lacte, melle, oleo, vino, aquâ, farinâ; tanquàm aptū medium præstantibus animabus, ad corpora sumenda: quemadmodum hæc apud Homerum longâ institutione docet Ceres Ulyssem. vide Benedict. Pererium, *in tract. de Magiâ, lib.* 1. *c.* 11. Et arbitrabantur, hæc non nisi in his locis fieri posse, ubi hujusmodi animæ plurimùm versari dignoscuntur. Ita ajunt; Spectrum, non Samuelem verum fuisse, ab Endoranâ illâ ad petitionē Saulis, evocatū. *vide hāc de re Tractatum singularem,* Michaëlis Rothardi, Crux Saulitica inscriptum. Cui simile est, quod de Thessalâ illâ maleficâ, apud Lucanum *li.* 6. habetur, quòd mortuum evocaverit, qui Sexto Pompeio, omnem Pharsalici belli prædixerit eventum. Sic Vale Lector, mihiq; fave, ac si quæ tibi minùs grata, ac malè consarcinata occurrerunt, ignosce.

Gratia Domini Nostri Iheſu Chriſti ſit nobiscum.

FINIS.

Elenchus Capitum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [114] - 112

ELENCHUS CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

DE VITÆ SVSTENTATIONE.

I. *De Agriculturâ, pecuariâ: & Vsurâ.* fol. 3.

II. *De alimonÿ copiâ procurandâ, legitimoq; ejus precio constituendo: ac item de causâ caritatis, cùm omnium rerum copia abundat.* 10

III. *Contra Otiosos, & Decoctores.* 16

IV. *An liceat ex sanguine conficere cibum.* 29

V. *Continens discussionem quæstionum aliquot de Vsuris, & annuis reditibus, ex utroq; jure deductam.* 31

LIBER II.

DE CVRA SANITATIS.

I. *De Medicinâ, Medicis, Medicamentis atque Morbis.* 57

II. *De peste, ejusq; fugâ, & politicâ curatione.* 79


LIBER III. & ult.

DE SEPVLTVRA.

I. *Cadavera terræ mandanda: ac nemini facilè denegandam esse sepulturam.* 94


II. *Quomodo, & ubi mortui sepeliendi.* 103

III. *De Ritu, & sumptibus Funerum: Luctu item, ac Spectris obberrantibus circa Sepulchra.* 105



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [116] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [117] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [118] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [119] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [120] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [121] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [122] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 14, [123] - -
PUBLIC DOMAIN